SCRIPTORES AETHIOPICI

SERIES ALTERA — TOMUS XX

VITAE SANCTORUM INDIGENARUM

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
I.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

SCRIPTORES AETHIOPICI

VERSIO

SERIES ALTERA — TOMUS XX

VITAE SANCTORUM INDIGENARUM

ROMAE
EXCUDEBAT KAROLUS DE LUIGI

PARISIIS: CAROLUS POUSSIELGUE BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE: OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCV

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

JUN 12 1944

12701

I

GADLA BAṢALOTA MIKĀ'ĒL

SEU

ACTA SANCTI BAṢALOTA MIKĀ'ĒL

INTERPRETATUS EST

KAROLUS CONTI ROSSINI.

Baṣalota Mikā'ēl in posteriori saeculi XIII parte Saglā, Scioanae provinciae pago, natus est. Monachali veste suscepta, monasterium Dabra Gol, in provincia Amhara, incoluit. Rege ʿAmda Ṣyon I imperante, multa pro christiana fide et morum probitate gessit multaque sustinuit. In vincula coniectus, et in exilium ad Dārā Moslemos (t a n b a l ā t), inde ad insulam Zewāy, denique in Tigré pulsus, propter magnas in metropolitam Yoḥannes et in regem pluries concitatas agitationes, in terra Gelo Makadā, quae inter Agamé et Acchele Guzài sita est, diem supremum obiit, priori parte, ni fallor, regni ʿAmda Ṣyon.

Sancti nostri Acta in uno codice aethiopico, D'Abbadie n. 129, nobis servata sunt. Sine dubio, codex sub finem saeculi XV, iubente viro cui nomen Marqoryos erat, ut Tabernaculum sancti Stephani in insula Dāgā, in lacu Ṣānā, eo donaret, conscriptus est.

Auctorem vero narrationis clericum fuisse, qui vixit saeculo XV vel exeunte saeculo XIV, certum habeo. Verisimile est eum e provincia Amhara, in qua Dabra Gol est, vel e provincia Bēgameder oriundum fuisse. Eius autem nomen ignoramus.

Romae, a. d. XII Kal. Oct., MCMV.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/vitaesanctorumi01cont

ACTA SANCTI BAṢALOTA MIKĀ'ĒL[1].

In nomine Domini unius, qui in sua unitate est trinus et in p. 3.
sua trinitate est unus; qui mundum suo imperio tenet, omniaque sua divinitate replet; qui est omnium pater virtute sua; longanimis in sua patientia; qui peccatores ad bonam frugem sua benignitate restituit; qui sua potestate difficiliora facilia reddit; doctor doctorum suo ingenio. Nihil eius irae ardori obstare potest, nisi eius redemptionis virtus; et nihil eius zelotypiae ignem sedare potest, nisi eius benignitatis et eius misericordiae ros ex eius aedium thesauro descendens.

Incipimus ergo, auxilio Domini nostri Iesu Christi, scribere praestantem agendi rationem patris honorati Baṣalota Mikā'ēl, qui in toto spiritali suo certamine et labore fuit *virtutibus* ornatus; sicut Abel mansuetus; sicut Enos[2] invocator nominis Domini; Domini amans sicut Enoch; gratia plenus sicut Noah; Domini dilectus sicut Abrahamus; moribus purissimus sicut Isaac; Domini oblatio sicut Iacob; legis curator sicut Moises; canendi peritus sicut David; voce excelsus sicut Isaias; vaticinando pulcher sicut Ieremias; Dei legis zelotypus sicut Elias; thaumaturgus sicut Eliseus; spiritu ebrius sicut Esdras Sutaël; arcanorum contemplator sicut Hezechiel; labore indutus sicut Iohannes Baptista; fidei petra sicut Petrus; linguae suavitas sicut Paulus; virginitatis puritas sicut Iohannes Abuqalamsis[3]; fidei columna sicut Stephanus; gloriae stella sicut Georgius; anachoreticae vitae amator sicut Antonius; lingua dulcissimus sicut Iohannes Chrysostomus; divinitatis enarrator sicut Epiphanius; Trinitatis gladio defensor sicut Cyrillus; propter iustitiam patiens conviciorum sicut Dioscorus; in exilio constans et *in p. 4.
vinculis alacer, et verberationibus vulneratus, et contumeliis affectus. Sine intermissione orabat et sine quiete laudabat; columnae instar stabat, et rotae instar se prosternebat; sicut angeli vigilabat, et quasi corpore destitutus ieiunabat; per angusta penetrabat, per stricta se coarctabat, et carnem spiritali certamine, labore et metu vexabat. Hodie terra Sagla, quia eum

[1] Supra scriptum est: « Hic liber est coenobii Daga... »: paullo inferius « hunc librum Antonius d'Abbadie sua pecunia emit ». — [2] Cfr. *Gen.*, IV, 26. — [3] I. e. Apocalypsis.

BQ
3974
.I74
v.1
Versio

generavit, gloriatur; hodie Siwā [1] *provinciae* montes, quia eius misericordia coronati sunt, laetantur; hodie terra Tegray, quia primum in peregrinatione, inde in exilio ab eo visitata est, laetatur; hodie terra Tanben, quia nunc eius ossibus sanctificata est, exultat! — Ego autem dicam: « Mirabilis est Dominus in sanctis suis, Deus Israëlis, ipse virtutem fortitudinemque populo suo concedit » [2]. Rursum Davidis liber ait [3]: « Montes stabilisti in virtute tua, et illi vi cincti sunt »; sanctos autem nominavit montes. Etiam enarrat quomodo *sanctorum* spiritalis certaminis fortitudo sit praecingere Domini virtutem [4].

Nunc vero ne dicamus: quomodo *Baṣalota Mikā'ēl* tantum ieiunare et orare, toties in genua procumbere et vigilare potuit? Neque rursum dicamus: quomodo tanta miracula et tanta prodigia patravit? Audi quae Gabriel dixit Mariae: « Ecce, concipies et filium paries ». At virgo angelo: « Quomodo, inquit, *haec* mihi fiant, cum virum non cognoscam? ». Et angelus ei: « Sanctus Spiritus super te veniet et Excelsi virtus te obumbrabit » [5]. Si igitur virgo Verbum concipere potuit propter Sancti Spiritus illapsum et Divinitatem parere propter Excelsi virtutem, cur dicamus sanctos non posse aerumnas et spiritale certamen pati per Sancti Spiritus auxilium, vel miracula patrare per Excelsi virtutem? Spiritales enim labores pati minus est quam Verbum concipere, et miracula patrare minus quam Divinitatem parere. Hic autem vir carnem suam Sancti Spiritus arcam, et animum suum precum currum reddidit. Carnem suam servabat a contaminatione delectationis huius mundi; animum suum servabat a terrenis cogitationibus; manum suam servabat a rerum contrectatione quae Domino
p. 5. invisae sunt; pedes suos servabat ab incessu *ad omnium mundi divitiarum commoda; oculos suos servabat a contemplatione rerum inanium, quae corporis cogitationes oblectant, et linguam suam continebat ab otiosa loquela, quae sanctorum agendi rationem dedecet; os suum continebat ab edenda carne et oleo et lacte, quae ventri grata habentur, necnon a bibendo vino et hydromeli, quae cor laetitia afficiunt et ossa madefaciunt. Corpus cum Iesu Christo crucifixit, et semetipsum propter

[1] Codex saepissime Siwā pro Sēwā, Šēwā, Šawā, h.e. Scioa, habet. — [2] Cfr. *Psalm.* LXVII, 36. — [3] Cfr. *Psalm.* LXIV, 7. — [4] Cfr. *Psalm.* XVIII, 33 sqq. — [5] Luc., I, 34-35.

peccata consumpsit; mentem Sancti Spiritus alis volitare et in supernis Hierosolymis consistere fecit.

Nunc vero audite! Vobis patris nostri Baṣalota Mikā'ēl historiae initium enarrabo: eius sanctitas spiritali laborum certamine est exornata, eius in sanctitate virginitas est humilitate coronata, eius sarcerdotii unguentum sanguine martyrii, suaviore quam purissimi floris oleo, temperatum est.

Huius viri pater Mārqos appellabatur, et e sacerdotali stirpe erat. Eius mater Egzi' Kebrā vocabatur: ea, autem, nobili genere orta erat. Filios filiasque genuerunt. Dein, cum eius mater ad consanguineos suos profecta esset, eam viro *reddere* recusaverunt dicentes: « Ipsam tibi non trademus: at vero magistratuum cuidam in matrimonium dabimus »[1]. Mārqos monachum, coenobium ecclesiae Michaelis archangeli incolentem, adivit: et quo modo sibi uxorem *reddere* recusaverant exposuit. Monachus, mulieris parentibus convocatis, eis dixit: « Num Domini sacerdoti uxorem eius recusare vobis licet? ». Et reprehensionibus sacrorumque Librorum verbis eos redarguit. Sed illos reconciliare nequivit. Iterum, tertio Mārqos rediit, et monachum suae uxoris causa ursit. Cum causam adversus uxoris parentes defenderet, et hi litem augerent, *monachus:* « Ite, ait, ad aedes vestras, et ambos hos apud me pernoctare sinite; domum redite! ». Mārqos et uxor apud monachum manserunt. Mārqos uxorique monachus dixit: « Hic, in habitaculo meo noctem agite: vos autem Michaelis archangeli precibus obsecror, hac nocte carnis coniunctionem intermittere nolite ». Noctem in eius habitaculo, sicut iusserat, egerunt. Domini angelus *in somniis ad Mārqos cum apparuisset dixit: « Egzi' Kebrā, p. 6. uxor tua, tibi filium pariet: cum pepererit, illum nomine Baṣalota Mikā'ēl[2] voca. Ecclesiae columna erit ». E somnio experrectus, Mārqos se cum uxore coniunxit; ibi, illa patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl concepit. Cum concepisset, eius vultus Sancti Spiritus gratia illuxit. Illa ergo, quasi homo qui annotinum vinum biberit, corde laetabatur et dicebat: « Quid in ventre meo est? Ex quo eum concepi, mens mea et vultus

[1] In Aethiopia parentes, etiam invita muliere, divortium imponere valent; hac de re, cfr. Conti Rossini, *I Loggo e la legge dei Loggo Sarda*, Firenze 1904, p. 25 (excerptum ex *Giornale della Società Asiatica Italiana*, vol. XVII). — [2] I. e.: « Ob preces Michaelis ».

meus sicut faces splendescunt ». Si filii natu maiores morbo laborabant et « capite aut ventre aegrotamus » dicebant, *mater*, utero gestiente suis manibus attrectato, filiorum corpus, ubi morbo laborabant, palpabat, et statim, Domini gratia, in bonam valetudinem restituebantur. Et partus dies advenit. Hora qua puerum peperit, iris in eius domu apparuit. Mulier ei nomen Basalota Mika'el indidit, quia eum in Michaelis coenobio conceperat, ut antea dictum est [1]. Deinde, eum in sinu fovit, usque ad tempus quo eum ablactavit. Cum paullulum adolevisset, ei pater: « Dic, ait: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti! ». Et puer dixit: « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti! ». Rursum ei: « Dic, ait: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum [2] ». Et puer hunc psalmum usque ad finem recitavit. Pater miratus est, quod *puer* quae non didicerat recitaverit, ita ut pater ex uniuscuiusque psalmi initio vocem unam diceret, et puer recitationem integram, Sancti Spiritus gratia, ad finem usque proferret. Postea, Psalterium ab initio usque ad finem, et Canticum Moisis, servi Domini, usque ad preces [3] Simeonis sacerdotis et prophetae explevit. Davidis Psalterio perfecto, pater eum litteras legere, et postea librum epistularum Apostolorum docuit: cotidie mane in ore eius verbum Domini et in corde eius interpretatio semper angebantur. Eius vocis gratia pulcherrima, et eius linguae sermo divino sale sapidus erat.

Dein, pater matri dixit: « Eum ad metropolitam ducamus, ut diaconale munus suscipiat ». Mater ei: « Nobis, ait, fame
p. 7. periet; *ieiunia sustinere non valet ». Hoc consilio audito, puer ieiunare sexta feria et quarta coepit, et cibum sumere recusavit; pater eum verberavit et vexavit, nec persuadere potuit. Cum puer ei denegavisset, *pater* cibum cepit, in os pueri immisit et ei: « Ecce, dixit, ieiunium tuum rupisti! ». At puer: « Si mea sponte, ait, in os *cibum* immiserim, ieiunium fregerim; si autem tu in os meum immiseris, non fregi. Nunc vero ieiunium meum non frangam! ». Pater, cum ab illo defatigatus esset, *puerum* ieiunare sivit. — Hunc puerum miramini, qui sacerdotium ieiunio sibi velut in matrimonium adiunxit, et Divinitatis habitaculum puritate suae carnis exornavit:

[1] Dubia interpretatio; textus enim corruptus est. — [2] *Psalm.* I, 1. — [3] Canticum Simeonis: Luc., II, 29-32.

hunc puerum miramini e matris utero sanctum sicut Ieremiam et sicut Iohannem, et sicut Samuelem in sanctuario educatum; hunc puerum miramini, puerorum mores spernentem ob intelligentiam quam anachoretica vita magis quam seniores assecutus est; hunc puerum miramini, quem Domini scientia a matris uberibus aluit et sacrorum Librorum verba a pueritia educaverunt; hunc puerum miramini, qui Iesum Christum plus quam patrem suum, ecclesiam plus quam matrem suam dilexit!

Ad initium igitur redeamus, ut *huius viri* Spiritu induti historiam vobis enarremus. Post haec, pater eum ad metropolitam deduxit: diaconus factus est et cum patre ad civitatem suam rediit. Domini amor cor suum replevit. Iesu Christi evangelii laqueis carnem vinxit, eamque eius amoris clavis affixit, ne ab ipso dextrorsum vel sinistrorsum vacillaret; eius zelotypiae igne mentem adussit, neque compescebat, ita ut tota *mens* exarderet. In eo absoluta est vox Domini, qui ait in evangelio [1]: « Ignem attuli in terram, et eam ardere volo ». Vox Domini purissima, vox Domini ardentissima, si in sanctorum cordibus ingressa est, eorum mentes incendit, plus quam folles multi in officina aeraria. Quapropter in psalmo dicitur [2]: « Vox Domini ignita, et ipse est fidelis confitentibus in se ». Rursum dixit [3]: « *Verbum tuum ignitum valde, et servus tuus dilexit illud ». Nam non ad omnes verbum Domini adfertur [4]. Si vero in impii cor ingreditur, refrigescit, ut Iacobus dixit Rubeno: « Fili mi, quasi aqua frigidus factus es, quia cubile patris tui ascendisti » [5]. Etenim ardor in carnis cupiditate est frigor apud Dominum; frigor vero apud homines est ardor apud Dominum; qui enim hic amat illic non diligetur, qui apud homines spernitur extolletur apud Excelsum, qui superbia intumescit ignominia afficietur in angelorum hominumque conventu; qui pretiosissimis vestibus induitur et adversus *hominem* laceris vestibus indutum intumescit nudus in caelis erit; qui suavibus odoribus vultum perfundit ad decipiendum foetidus apud purissimarum animarum Dominum erit, ut Paulus eloquio dulcissimus ait [6]: « Est enim odor e morte in mortem, illis autem odor e vita in vitam ». Hic vir autem emisit [7] olentissimos

p. 8.

[1] Cfr. Luc., xii, 49. — [2] *Psalm.* xi, 7; cfr. *Prov.*, xxx, 5. — [3] *Psalm.* cxix, 140. — [4] Textus corruptus videtur. — [5] *Gen.*, xlix, 4. — [6] II *Cor.*, ii, 16; textus corruptus est. — [7] Textus corruptus et vix intellegibilis est.

flores et cnecos, unumquemque suo colore, purissimos, sine macula, ob Sancti Spiritus illapsum; florem sacerdotii, qui Christi unguenti odore conditus est; praedicationis florem qui in prophetis fulgens germinavit, in Apostolis redoluit, in evangelio perfusus est gratia; et martyrii florem rubrum, qui suarum verberationum sanguine tinctus est, et Christi passionis sanguine gloriabatur, ut Paulus ait [1]: « E Christi passione pauca perficiam ». Rursus, Paulus ait [2]: « Si cum Sponso socii in eius morte fuerimus, ei similes erimus in eius vita ». Si tribulationes elegimus, vitam collegemus; si constantiam elegimus, imperium collegemus. Petrus vero ait [3]: « Si Christus passus est in carne, et vos ea cogitatione armamini, quia qui passus est in carne desiit a peccatis ».

Hic pater honoratus, pater purissimus, omnibus pulchris moribus exornatus, pater noster Baṣalota Mika'el, qui primum martyr manibus Mārqos sui patris fuit, cum pater ei uxorem dare in animo haberet, his intellectis, pater noster Baṣalota
p. 9. Mika'ēl *monachorum coenobium petiit. Progressus, monachis dixit: « Me in coenobium [4] introducite, quaeso ». Et monasterii abbas ei: « Quid vis, inquit, o fili mi? ». Baṣalota Mikā'ēl ei respondit: « Monachus ut fiam volo ». Cui abbas: « Monachum fieri nequis, o fili mi, puer enim es: sed hic, apud me, mane, et te examinabo ». Dein, pater, postquam coenobium in quo *filius* erat audivit, ad monachum illum progressus, dixit ei: « Mihi filium meum redde ». Abbas ei dixit: « Ego vero eum tibi non reddam; tu autem tua voce cum eo colloquere ». Dixit Mārqos filio suo: « Veni, ad matrem fratresque tuos eamus ». Filiuṣ ei respondit: « Ego autem hinc non egrediar, sed monachus fiam ». Mārqos ad Egzi' Kebrā ivit, et omnia quae ei filius dixerat exposuit: ambo propter filium dolore magno affecti sunt. Egzi' Kebrā ad Wedem Ra'ada regem processit, eius enim carnali genere *cognata* erat, et de filio suo ei locuta est. *Rex* ei unum ex militibus suis, flagello munitum, comitem dedit. Regius miles, progressus, abbatem monasterii adivit, puerum ab eo apprehendit et *matri* Egzi' Kebrā tradidit, cui dixit: « Si is puer a te recesserit, me voca, hoc flagello verberabo! ».

[1] Cfr. *Coloss.*, I, 24. — [2] *Rom.*, VI, 5. — [3] PETR., IV, 1. — [4] *Sic* textus: fortasse ad « coenobii patrem » (id est « ad abbatem ») legendum.

Puer apud patrem et matrem commoratus est; eis parebat et ministrabat.

Olim, pater ad locum quendam eum misit. E loco quo missus erat cum regrederetur, in itinere regiorum mulorum pastores in pascuis invenit: progressus, regis muli funem traiecit. Eum apprehenderunt, et ad suum praefectum adduxerunt. Praefectus, cum ad pueri collum cingulum vidisset, dixit *pastoribus*: « Eum dimittite, sacerdos enim est: flagellare nolite ». Tum eum dimiserunt. Puer corde suo cogitavit: « Mortalis regis mortales servi propter muli funem, quam traieceram, me tanto terrore terruerunt: quomodo ergo ignei ministri, quorum facies terribiles sunt, me propter regis gloriae praecepiorum transgressionem terrebunt? ». Atque monachorum coenobium petivit, ibique in aerumnis et precibus commoratus est. Pater, *quo p. 10. filius esset cum audivisset, illic progressus, eum in vincula coniicere coepit et ad matrem deduxit. Ei pater et mater dixerunt: « Accipe, cibum sume ». Eis respondit: « Cibum vero ego non sumam, nisi me monachum fieri siveritis ». Pater et mater ei: « Te monachum fieri non sinimus! ». Et eis dixit: « Nec ego quidem cibum sumam ». Pater eum magnis verberationibus verberavit, adeo ut caro aegrotaret. Rursum eius pater: « Accipe, dixit, ede et bibe ne virgis moriaris ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit ei: « Nec edam nec bibam, usque ad mortem, nisi me monachum fieri siveritis ». Pater, ira et increscenti indignatione pervasus, arrepta virga, illum flagellavit cum diceret: « Nec ego quidem verberationi finem imponam, nisi quae tibi dixi egeris ». Et filium iterum flagellavit. Tum ipsum vinctum in solitudine reliquit; *puer* noctem illam in frigore egit. Mane, pater, arrepta virga, eum verberavit dicens: « Verberationi finem non dabo, usque ad mortem tuam, nisi consilium vitae monasticae *amplectendae* dimiseris ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl ei dixit: « Ego quidem propter Dominum moriar, neque de monastica vita consilium dimittam ». Pater, cum eum suadere non potuisset, ipsum denuo vinctum in solitudine reliquit, ut, frigore et pruina *saevientibus*, noctem ageret. Mane, pater rursum quo vinctus erat progressus, ei: « Audi, inquit, quae tibi dixi, fili mi: ne manibus meis moriaris ». At filius ei respondit: « Propter Dominum moriar, Christi et Dei mei amorem non dimittam ». His auditis, pater, magna ira per-

vasus, virgam suscepit eumque magna vi flagellavit, adeo ut eius caro, saxi instar, coruscaret. Hoc modo pater noster Baṣalota Mika'el tres dies et tres noctes egit, cum tota die a patre flagellaretur et totam noctem in solitudine vinctus expleret, nec cibum sumeret aut aquam biberet, die solis aestu noctuque frigore et pruina pressus, manibus post tergum arboris trunco ligatis. Is
p. 11. quidem pater noster Baṣalota [2]Mikā'ēl primo martyrium sui patris manibus passus est! In eo impleta est vox Domini, qui in evangelio ait[1]: « Quia non veni pacem mittere, sed cultrum attuli ut separarem virum a muliere, filios a patre atque matre, filiam a matre, et sponsam a nuro ». Hic Domini vir puritatem angelorum instar dilexit, et sicut virgines monachi coniugium contempsit; divitias spernens, apostolo similis fuit, et aerumnas sicut Iohannes Zachariae filius tulit; se ad martyrium paravit, ut Domini Filii in passione consors esset; Divinitatis gladium cinxit et Iesu Christi militem fieri sibi firmiter proposuit; carnem ieiuniis et abstinentia aridam fecit ut *ipsa* viridis in Christi nuptiarum septo fieret; guttur siti exsiccavit ut purissimi horti aqua madidum fieret; mentem ratione carnis[2] colligavit ut Domini Filii discipulus fieret, eamque eius amoris trunco[3] alligavit; lucernam suam super crucis basim[4] posuit ut mundo universo illucesceret; sacerdotium suum sale Divinitatis sapidum reddidit et evangelii medulla exornavit; aromata e prophetis, oleum ex apostolis suscepit, et unguento doctrinae suae mundum suffivit.

Ad pristinam historiam viri Domini redeamus! — Tum, pater, cum eius mentem a Domini amore avertere, multiplicatis verberationibus, frustra tentavisset, servum iussit eum ad monachum deducere et ei tradere cum diceret: « Hunc puerum accipe, ut tibi usque ad suae mortis diem servus sit! ». Monachus ille patri nostro Baṣalota Mikā'ēl dixit: « Mecum manebis, ut tibi magister sim ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl ei respondit: « Ego autem te mihi magistrum esse nolo! ». Monachus legato dixit: « Eum patri suo redde ». Legatus illum ad patrem reduxit, cui monachi et Baṣalota Mikā'ēl dicta rettulit. His auditis, patris cor ira exarsit. Ceteri ei dixe-

[1] Matth., x, 34-35. — [2] Textus corruptus videtur. — [3] Eius amori ceu trunco. — [4] Super crucem ceu basim.

runt: « *Hunc puerum manibus tuis interficere noli, ne po- p. 12.
stea moerorem concipias ». Tum pater in corde suo illum ad alium monachum mittendum censuit, et servis suis dixit: « Ad monachum quendam eum deducite; ut ipsum in suum servum accipiat dicite ». Monachus patri nostro Baṣalota Mikā'ēl dixit: « An mecum, ut tibi magister sim, manere vis? ». Pater noster Baṣalota Mika'ēl respondit: « Te magistrum mihi esse nolo: aquam mihi, ut bibam, da, quaeso, propter Dominum; siti enim pressus sum ». Postea patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl patri reddiderunt; et pater ad iram concitatus est. *Tum pater* eum ad Michaelis ecclesiam, ubi sacerdotes et diaconi, viri et mulieres, congregati erant, traxit et, accepta novacula, ei aurem amputavit dicens: « Accipe, o Michael! Tibi servus sit, ecclesiae ministret usque ad mortis suae diem! ». Baṣalota Mikā'ēl dixit: « Ego autem non Michaelis servus sum: Iesu Christi vero, Filii Domini, cui animam meam carnemque tradidi, sum servus ». His auditis, pater, magno dolore pressus, ad uxorem suam Egzi' Kebrā ivit et ei dixit: « Me ad impotentiam reduxit; propter hunc filium tuum mihi vires deficiunt: quid agam? ». Inter se collocuti sunt: « Eius fratris uxor pulcherrima est. Illum apud eam vinciamus, ut ab ipsa in peccatum inducatur ».

Id consilium cum notum uxori fratris [1] fecissent, ea valde laetata est et dixit eis: « Statim ad me adducite, fame et siti eum interficere nolite ». Ad eam *puerum* traxerunt et cum ea vinxerunt. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl, submissa loquela, hunc ad modum deprecatus est: « Salvum me fac, Domine, ex impudicitiae retibus, quae in infernum ignem deiicit. Salvum me fac, Domine, ab osoris insidiis, cuius retia per mundum expansa sunt. Salvum me fac, Domine, e feminae manibus, atque e vocis emissione, quae in iuvenum cordibus ignem incendit. Salvum me fac, Domine, e speciei pulchritudine, quae oculos illaqueat, atque e pravitatis funibus, quae ad abyssum trahit. Salvum me fac, Domine, qui Iacobum e manibus fratris eius Esau, et Moisem e Pharaonis manibus servasti. Salvum me fac, *Domine, qui Davidem e Saulis manibus, et p. 13.

[1] De fratris vidua, secundum Aethiopum consuetudinem et ius, sermo esse videtur. Cfr. *I Loggo e la legge dei Loggo Sarda*, p. 23–24.

Eliam ex Achab atque e manibus Elzabelis servasti. Salvum me fac, Domine, qui Danielem e faucibus esurientium leonum et tres pueros e fornace ignis Babylonica servasti. Salvum me fac, Domine, qui Susannam e seniorum manibus et Mardochaeum e manibus Artaxerxis servasti. E seductione et illecebris huius feminae salvum me fac, Domine, qui Ionam e ceti ventre eripuisti. Salvum me fac, Domine, ex osoris consilio, qui patri matrique meis ut herbam cum igne ponerent suasit. Ego autem dico: Me ex his retibus, quae mihi occultaverunt, eripe, quia tu adiutor meus, Domine; tuis manibus animam meam committo. Quis in sinu suo ignem involvit et non comburetur vel suis manibus scorpionem capit et non aegrotabit? Aut quis viperam collo suspendit et non timebit, vel serpentem lumbis accingit et non mordetur? Sustine me, Domine, ne obdormitem; purum me serva ne polluar; fortem me fac ne defatiger. Tibi est vis et tibi est laus, per omnia saecula saeculorum. Amen ». Tum fratris uxor ei dixit: « Nonne mihi 'Te valde amo' dicis? ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl respondit ei: « Te quidem plus quam patrem et matrem diligo, valde autem Dominum plus quam te diligo ». Fratris uxor ei dixit: « Si me amas, accede, nos carne copulemus! Quid maris feminaeque amor est sine concubitu? ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl ei respondit: « Dominus in me indignabitur si amorem erga eum minorem quam amorem in te fecerim et tecum peccatum commiserim ». Illa fratris uxor ei dixit: « Si mecum copulari recusas, te non solvam; vinctus manebis! ». Tum Baṣalota Mikā'ēl illam vincula soluturam non esse nisi ipse consentiret perspexit, et callide loquens ei respondit: « Si vero copulam meam cupis, me a vinculis solve; turpis enim est hominis et mulieris copulatio dum vincti sunt ». Haec dixit ut ab eius manibus evaderet. Illa autem *Baṣalota Mikā'ēl*
p. 14. voluntatem suam acturum *et monachismo valedicturum esse putavit; valde laetata est et statim eum e vinculis solvit. Tum, progressa, eius patri et matri quomodo consensisset rettulit; magnopere gavisi sunt. Ea nocte, pater noster Baṣalota Mikā'ēl clam e patris matrisque aedibus, e natali terra discessit, et, Domino favente, e laqueis quos ei tetenderant incolumis evasit. Ovis e lupi ore, columba purissima ex ore accipitris aufugit. Postea, oravit et dixit: « Laquei contriti sunt, nos vero

servati sumus: auxilium nostrum est in nomine Domini »[1]. Rursum dixit: « Vincula mea dirupisti; tibi sacrificium laudis sacrificabo »[2].

Inde, ad Dabra Gual progressus est, quod est coenobium ubi anachoreticam vitam agebat Anoryos, sacerdos, qui semotus habitabat et spiritale certamen pacato animo certabat. De hoc monacho narrant, dominam nostram Mariam ei apparuisse, et ante eum reginarum filias constitisse et *Virginem* cum eo directe collocutam esse. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl monachalem vestem e manibus huius monachi suscepit, et sanctorum iugo sacrorumque Librorum dictis subiectus fuit. Ieiunia multiplicabat, sacras exercitationes adaugebat, preces continuabat, et genuflectiones properabat. Ipse oblationes ecclesiae molebat: ipse oleastrorum stipitum onera nonaginta – unum pro ecclesiae necessitatibus et nonaginta pro abbate – ferebat, et denuo egressus truncum pro solitariis adferebat; nec ligna aut truncos ascia vel securi, sed ferrea pala qua humum su fodiunt resecabat. Haec ad domandam carnem iuvenilibus viribus agebat: cum his omnibus serviret, ieiunia non intermittebat, neque omittebat preces, neque genuflectiones minuebat; aquam rursum ipse hauriebat. Tum tertia feria tum quarta tum sexta ieiunabat. Hunc ad modum in diaconali officio tredecim annos egit. Nec *carnem domare potuit. Media die, sole incalescente, terra p. 15. incensa et saxis quasi igne candentibus, super saxa supinus se prosternebat, adeo ut corporis pellis coqueretur; dein, in pectum conversus, pronus super saxa ardentissima iacebat, adeo ut cutis et pectus et venter coquerentur: tum recubabat. Neque hoc modo carnem domare potuit.

Postea, metropolitam adivit et sacerdos factus est. Domi reversus, cellula sibi parata, in eam ingressus est et ibi est commoratus in timore Domini. Sancti omnes eum Domini angelum putabant. Inde, eremum petivit, et foveam qua totus reciperetur fodit: a colloquiis cum hominibus se abstinuit et muto similis factus est, nihil praeter sacrorum Librorum lectionem precesque pronuntiabat. Tum, multos post dies, sancti ad eum venerunt atque ei dixerunt: « Age! ex hac agendi ratione egredere, quaesumus, ut multorum utilitati subvenias ». Pater

[1] *Psalm.* CXXIV, 7-8. — [2] *Psalm.* CXVI, 16-17.

noster Basalota Mika'el dixit eis: « Sinite me propter peccata mea flere, ut animam meam lucrifaciam, quemadmodum in Evangelio dictum est [1]: 'Quid homini proderit si mundum totum lucretur et animam perdiderit?' mihi enim haec fovea infernali fovea melior est ». Sancti ei dixerunt: « Si in fovea commoraberis, animam tuam solam iuvabis: si autem ex hac fovea egressus multos docebis, te ipsum et audientes servabis. Apostolis similis fias: ut Paulus doce: in tectis praedica, ut vox tua coram conciliis audiatur fac; sicut Evangelium ait [2]: 'Non potest civitas abscondi quae super montem posita est, et nemo lampadem accendit ut eam sub modio ponant, sed ut ponant super candelabrum ad omnes homines illuminandos ». Cum autem supplices eum urgerent valde, e fovea egressus est, et sancti omnes eum osculati sunt. Cum illis in timore Domini stetit: arcana videbat prophetarum instar, et miracula, apostolorum instar, patrabat. Divitias collegere sprevit, sicut David
p. 16. psaltes, et *segetes sibi non collegit, ne granum quidem sinapis: neque de cibo ventris sui sollicitus erat, nec propter viscera sua gemebat, nec de potu curam habebat, nec de vestibus contristabatur: carnem aqua lacrimarum lavabat et cor flamma Divinitatis calefaciebat.

Fratrem habebat natu minorem et monachum, sanctorum magistrum, cui erat nomen Ḥarayo Krestos. *Is* patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl deprecatus est cum diceret: « Simul in charitate et in pace commoremur, quaeso ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit: « Solitarium autem habitare volo! ». Tum ei cellam fecerunt, in qua commoratus est vigiliis addictus ieiuniis precibusque: et octoginta milies diu, octoginta milies noctu se prosternebat; propter prostrationum multitudinem terra excavata est, ita ut eum usque ad eius genua reciperet; ubi se prosternebat, eius sudor quasi aqua stillabat, ita ut pulvis in lutum converteretur et... [3] caprae qua indutus erat. Aliqui narrant: « Cum prostrationibus die quadam in sanctuario sedulo vacaret, eius oris spiritus flamma facta est, qua [4] re dixit: « Carnem meam vexavit flamma ignis ». Tota die vigilabat, dicens: « Neque oculis meis somnum neque palpebris requiem dabo, donec locum

[1] Marc., viii, 36: textus autem mendosus est. — [2] Marc., v, 14-15. — [3] Textus corruptus est. — [4] Textus corruptus et mutilus est.

Domini et habitaculum Dei Iacobi inveniam »[1]. — Olim, cum de animae exitu ex hoc mundo et de migratione ad caelos cogitaret, Redemptor ei apparuit et dixit: « Cum Petro et Paulo Dominus tibi habitationem paravit ». His dictis, ei evanuit. Tum miracula atque prodigia operatus est. Ieiunia precesque multiplicabat, in afflictationibus propter Dominum perseverabat.

Dein, e domo patris *spiritalis* exiit et in alium locum secessit: ibi monasterium pulcherrimum condidit. Animam suam Domino tradidit ut caeleste praemium assequeretur, Domini verborum in evangelio memor[2]: « Qui animam suam, *propter me prodiderit ipsam inveniet ». Rursum ait[3]: « Tritici granum, nisi mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui animam suam amat perdet, animam autem suam qui odit inveniet eam ». Horum autem cum recordaretur, Domini vir animam suam mundo mortuam et mundum animae suae mortuum habuit, sicut Paulus ait[4]: « Mihi mundus mortuus est, et ego mundo mortuus sum ». Et crebro iugo evangelii subactus est, alacriter ministravit in sanctorum vigilantia, aratrum cepit et retrorsum conversus non est, ne sulcus declinaretur. Domini Filium, eius laetali cruce suscepta, ob huius mundi opes lugens, secutus est. Similis fuit avibus caeli, cum segetes non coacervaret; solitudinis belluis, cum de corporis indumentis sollicitus minime esset[5]: apibus, cum flores ad mel faciendum colligeret. Cogitationum puritatem a prophetis, mundi contemptionem ab apostolis sumpsit; carnis puritatem a virginibus monachis, et anachoreticae vitae amorem a solitariis eremitisque sumpsit; doctrinam pulcherrimam a Paulo eloquii dulcissimo, miraculi agendi potentiam a Petro fidei petra sumpsit; castitatem a Iohanne Theologo, et a Iacobo Domini nostri fratre magnam vim in precibus persistendi sumpsit. Sumpsit constantiam e Iob probato, et in aerumnis perseverantiam a Paulo eremi sidere. Sumpsit vigilantiam ab angelis et laudationum multiplicationem ex archangelis. Sumpsit verberum carcerisque tolerantiam a confessoribus, et exilia passus est sicut sancti patres et peregrinatores. Has omnes fruges a spiritalibus

*p. 17.

[1] *Psalm.* CXXXI, 4. — [2] MATTH., X, 39. — [3] IOH., XII, 24-25. — [4] *Gal.*, VI, 6; textus corruptus est. — [5] Cfr. MATTH., VII, 21-28.

sanctorum certaminibus cum collegisset, mel sibi paravit, legenti suavissimum, audienti iucundissimum, ut in psalmo dicitur [1]: « Eloquium tuum gutturi meo dulcissimum, super mel et saccharum ori meo dulce ». Rursum dicit [2]: « Desiderabile est super aurum argentumque, et dulcius super mel et saccharum, et servus tuus id custodit, et in custodiendo retributio multa ». Operum fructus quos in loco illo fructificavit multiplicati sunt.

p. 18. *Multos post dies, fratres ob itineris longitudinem ad hauriendam aquam molestati sunt; coenobium enim aqua carebat. Baṣalota Mikā'el dixit eis: « Agite, hic fodite! ». Fratres ei: « Cur in arida rupe fodiemus? Paullulum, ad humum bonam, ubi est herba, descendemus ». Pater noster Baṣalota Mikā'el dixit eis: « In arido quidem Dominus laudatus est; primum cum aquam e rupe eduxit in Horeb, manibus Moisis famuli sui, deinde cum e lapidea tabula in carcere aquam, manibus discipulorum Andreae et Matthaei, eduxit ». Postea, pater noster honoratus baculum manibus sumpsit locumque illum pupugit: tum fratres monachi fodere inceperunt, non quidem quod aquam se educturos confiderent sed ne eius praeceptum transgrederentur; se enim frustra defatigare putabant. Magno ardore, saxa saxis molentes, foderunt. Cum cubitum penetravissent, albam humum aridam invenerunt. Tum *sanctus* eos desistere iussit: et destiterunt. Ibi crucem infixit et super crucem evangelium *posuit*; humus arida erat, quasi pulvis sine rore. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl domum rediit: fratres vero, unusquisque in domum suam, murmurantes et frustra ab eo defatigationem sibi impositam dicentes, regressi sunt. Inde, precibus absolutis, pater noster Baṣalota Mikā'ēl media nocte clam quo fodere praeceperat venit et aquam dulcissimam foveam usque ad oram replentem invenit; vas in foveam immersit [3], aquam hausit et ecclesiam ingressus est. Postea, cum illucesceret dies, fratribus dixit: « Venite, ut Domini benedictionem adspiciatis! ». Eos ad foveam aqua plenam duxit. Fratres adspexerunt, Dominum laudaverunt et patri nostro Baṣalota Mikā'ēl humiles gratias egerunt.

Cum altaris sacramentum celebraret, vix dixerant « Adveniat

[1] *Psalm.* CXVIII, 103. — [2] *Psalm.* XVIII, 10-11. — [3] Ea esse videtur vocis *soṭa*, in hoc loco, significatio.

Sanctus Spiritus », quam ille, Sancto Spiritu viso, clamaret et diceret: « Advenit Sanctus Spiritus » [1]. Confecto altaris sacramento, egrediebatur, *sed* foris neminis oculis se praebebat, cum nemine colloquebatur neque solis teporem *petebat: at statim p. 19.
domum ingrediebatur. Eius vero domus frugum custodis tugurio similis erat, fenestris quibus lucem ignis adspiceret carebat; neque ei stragulum, super quod cubaret, erat. A tempore quo monachus factus est, super latus suum dormiendi causa nunquam iacuit, nisi cum aegrotus esset: lassitudine ingravescente, erectus aliquantulum dormitabat, et postea totam noctem insomnis vigilabat, neque sacrorum Librorum verba recitare intermittebat neque preces cum lacrimis minuebat.

Deinde, Domini verba meditatus est quae dicunt: « Qui patrem et matrem et filios et mulierem non reliquerit, non est me dignus, nec me sequi potest: et qui lubenter non baiulat crucem suam non potest meus esse discipulus » [2]. Horum omnium cum recordaretur, ad terram Tegrāy descendit. Patrem et matrem reliquit ut Iesum Christum patrem adspiceret; carnales parentes reliquit ut lucis milites sibi parentes essent; terrestrem hereditatem reliquit ut caelestis Ierusalem sibi hereditas esset; huius mundi bona reliquit ut margaritarum diadema in excelsis assequeretur; vestes oculis iucundas reliquit et sordidos pannos, resarta coria induit ut nuptiarum vestes indueret lucisque purpura amicireretur; terrestre connubium sprevit ut caelestes nuptias videret. De loco in locum sine viatico, et sine pane pro cotidiano victu, migravit, et sancta loca peragravit. Primo, ad locum Dāmo pervenit, et illic, Veteris Novique Testamenti librorum lectioni ipsorumque interpretationis studio sollicite addictus, commoratus est: propter assiduas Librorum lectiones linguae suae cutis quasi gladii vagina evaginata est [3], nec tamen ille Librorum lectiones intermisit. Inde profectus est, et ad Bēta abbā Maṭā' pervenit: beati Libānos benedictionem accepit, et paucos dies, Librorum lectioni deditus, commoratus est. Inde migravit et ad Makāna (*locum*) Qeferya pervenit; unde ad Makāna Quā'at migravit, et ex Makāna Qua'at ad Makana Ba'altabēḥat, et ex Makāna Ba'altabēḥāt ad Maqale, et e loco Maqalè

[1] Valde dubia interpretatio: textus corruptus videtur. — [2] Luc., xiv, 26 27. — [3] I. e.: « lingua e cute evaginata quasi gladium e vag. ».

ad Makana Gefe, apud Gabra Nazrawi dilectum suum. Quocumque
p. 20. pervenerat, *cellam sibi parabat, et noctem diemque agebat diligentissime Libros legens, et supplex ieiuniis deprecationibusque orans, ut sibi Dominus arcana Librorum mysteria patefaceret. Quadraginta dies et quadraginta noctes ieiunavit, nihil, nisi die sabato, degustans, ut sibi Tabernaculi opus manifestaretur; et *Tabernaculi* opera omnia, Sancti Spiritus visione, ei manifestata sunt; quemadmodum Dominus Moisi ostenderat, ita et ei ostendit. Iterum, ut antea, quadraginta dies et quadraginta noctes ieiunavit, ut pulcherrimi templi a Salomone conditi aedificatio ei revelaretur; et, Domino favente, templi longitudo et amplitudo revelata est, nec non putei sub laquearia [1], in vestibulo solidae columnae, in pelvi imagines Cherubim, ibique palmarum effigies, cardines, valvae duae unicuique ianuae, fastigia, aeneum mare super dorsum duodecim boum fuso metallo effectorum, et μεχωνωθ illud circumdantia quasi septum, et congii mensurae, et lavacra, et templi aedificationis opera omnia [2]. Tum quadraginta dies et quadraginta noctes ieiunavit ut ei luminum conversiones, et solis ianuarum status, eius ingressus et egressus, et eius cycli revelarentur. Atque ei, Sancti Spiritus auxilio, revelati sunt. Cum noctem in precibus ageret, caelorum mysteria adspexit, quae in libro Henoch filii Iared scripta sunt. Vidit ianuas solis et fenestras, et solem circumerrantem, unde eius aestus venit, et quomodo currus incendat (?). Vidit currus ventorum, quibus Angeli illum gubernantes ferunt, et stellam ei viam praemonstrantem. Vidit eius ortum, prout menses sibi invicem alternis vicibus succedunt, a tempore mensis sēnāsen, quod est in quarto mense ianua, usque ad mensem adēr. Vidit quomodo dies noctibus breviores a mense tasrin priore usque ad mensem konun priorem, secundum solis iter, fiant. Vidit quomodo dies noctibus longiores a mense nisān usque ad mensem ḥazērān fiant. Vidit quomodo dies noctesque in
p. 21. mense ēlol et in mense *adir exaequentur. Vidit conversionem luminum ortus lunae, et quomodo partes luminis quindecim (?) e novilunio usque ad plenilunium expleat, et quomodo lux pro mensura ei detur. Vidit eius deminutionem per quin-

[1] Cfr. Ez., XLVII, 7; v. etiam II *Chron.*, IV. — [2] Haec obscura in ms. videntur.

decim dies e plenilunio donec cyclum expleat; namque mundus libris scientiae Domini ordinatus est. Vidit reditum viarum *lunae* et eius ortum e ianua ad ianuam festinantem; non vero, sicut sol, qui ex una tantum ianua triginta dies oritur, sed per ianuas suas singulis diebus triginta circumit. Vidit circulos dierum (*sexagesimum diei partem*), qui in quattuor partibus dividuntur, et quinta est solis reversio. Vidit temporum quadrantes, qui in quattuor partibus dividuntur, i. e. annorum dispositionem, per dies unum et nonaginta. Vidit fenestras ventorum, decem ad orientem, decem ad occidentem, decem ad septemtrionem et decem ad meridiem. His omnibus caelorum mysteriis in revelatione acceptis, cum noctem in precibus ageret, magna voce clamavit et dixit: « O Henoch, sic fulgidum est mysterium quod vidisti, et sic revelatum est tuorum arcanorum secretum? Profecto Apostolus ait[1]: ' Qui scientia destitutus est a Domino datore petat, ille enim abundanter dat non probro afficiens neque exprobrans ' ». — Rursum ieiunare coepit et deprecari quadraginta dies et quadraginta noctes ut sibi Danielis prophetae visio revelaretur. Septimo die a quo ieiunium inceperat, vox e caelo ei venit: « Non tuum *tantum* est Danielis prophetiam noscere, sed eius gratiae donum datum est *filio tuo* Nātnā'ēl et tibi[2] ». Postero die, mane, pater noster Baṣalota Mikā'ēl filium suum Nātnā'ēl vocavit et dixit ei: « Gratia tibi a Domino data est, ut Danielis prophetae prophetiam explicares ». Tum *huius* Nātnā'ēl mens sicut fulminis fulgor illucescit; et Danielis prophetae prophetiam ab initio ad finem interpretatus est: patris nostri Baṣalota Mikā'ēl spiritus super eum est effusus, *sicuti spiritus Moisis super Iosuam et spiritus Eliae super Eliseum. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl testis fuit et filiis suis locutus est: « Librorum verbum in sinu meo propter amorem Domini stetit, cum clamarem et ter ' pater ' et ' pater meus ' dicerem: mens quidem mea clamabat, os autem tacebat; deprecationibus meis absolutis, hunc ad modum mecum colloquebatur et me exaudiebat »; et « Mi Domine, hoc verbum super me stetit » omnibus diebus, precum tempore, dicebat[3]. p. 22.

[1] Iac., I, 5. — [2] Fortasse autem w a l d e k a pro w a l a k a legendum est. — [3] Interpretatio dubia. Cfr. Dan., VII, 28; VIII, 27; X, 8.

Inde, pater noster Baṣalota Mikā'ēl mundum universum excommunicatione Apostolorum concludi putavit, quod metropolita corruptelae donis sacerdotale munus conferebat. Ad abbā Yohannes metropolitam progressus est et ab eo benedictionem accepit. Metropolita ei dixit: « Valesne, fili mi Baṣalota Mikā'ēl? ». Cui pater noster Baṣalota Mikā'ēl: « Valeo, sane, pater ». Metropolita ei dixit: « Cur venisti? ». Et pater noster Baṣalota Mika'el: « Est mihi confessio de tua meaque sollicitudine ». Omnes recesserunt, et ambo remanserunt. Baṣalota Mikā'ēl metropolitae dixit: « Nonne quae Petrus Apostolorum princeps in Synodorum libro ait audisti: qui sacerdotale munus corruptelae donis acceperit vel contulerit removeatur? Rursum, nonne audisti quomodo Simonem incantatorem excommunicavit? Cum is aurum ad Apostolorum pedes attulisset, dicens: 'Dicite, ubi manus meas imposuero Sanctus Spiritus descendat', Petrus ira in eum exarsit et ei dixit: 'Aurum argentumque tuum sint tibi perditio! an gratiam Dei existimas pecunia emi?[1] nam te amarum quasi venenum puto'[2]. Audi, pater! fons aquae si turbatur, flumina omnia obturbantur: si vero purus est, omnes fluminis fluctus puri sunt. Si tu sub Apostolorum anathema incideris, mundus universus excommunicabitur ». Metropolita, ad iram concitatus, ei dixit: « Num tu mihi magister eris? a me autem disce! ». Et in eo expleta sunt verba Domini qui in Evangelio ait[3]: « Vae vobis, scribae et Pharisaei, qui ante homines caelorum ianuas clauditis! vos quidem non intratis, nec
p. 23. *ingredientes sinite intrare ». Synodorum liber ait: « Episcopus qui contra legem doceat, non episcopus, sed in Christum mendax est ». Rursum, in Evangelio dicitur[4]: « Vos estis sal terrae, lux universi: si sal evanuerit, in quo salietur? *ad nihilum valet ultra*, nisi mittatur foras, et homines mittunt[5] ». Haec omnia edoctus, pater noster Baṣalota Mikā'ēl, ad Tabernaculi sacerdotes progressus, cum illis collocutus est, ut eum ad regem deducerent. Tabernaculi sacerdotes regi de illo rettulerunt et patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl introduxerunt. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl *regi* dixit: « Regnum tuum anathematis causa tenebris circumfusum est: namque Apostoli, eum qui baptismum

[1] Act., viii, 20. — [2] Cfr. *Prov.*, v, 4. — [3] Matth., xxiii, 13. — [4] Matth., v, 13. — [5] *Sic* ms.

vel sacerdotium propter corruptelae dona accipiat vel conferat, iam pridem excommunicaverunt. Hic vero metropolita eorum praecepta violavit: ecce sacerdotale munus ob corruptelae dona confert. Si metropolita sub Apostolorum anathema incidit, qui ab eo ordinati sunt et qui ab istorum manibus baptismum acceperunt, omnes excommunicati erunt. Ita universus mundus sub anathema est ». Rex patri nostro Baṣalota Mikā'ēl dixit: « Cum metropolita venerit, tu quoque accede, ut simul colloquamur ». Paucos post dies *metropolita* apud regem advenit. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl ibi adfuit. At rex et metropolita, cum soli essent, hac de re collocuti sunt. Metropolita regi dixit: « Iste Baṣalota Mikā'ēl me a dignitate, te a regno expellere vult. Audi, fili mi, quae tibi dico. Eum in vincula coniici et ad terram Tegrāy in exilium pelli iube ». Et dixit rex: « Sicut dixisti, fiat! ». *Sanctum* ligari, deduci, ad terram Sārd perduci et in durissima vincula coniici iussit. Regis legati, ut iussi erant, fecerunt. *Sanctus* duos annos ibi in vinculis egit. Inde, eum ad terram Ṣerā' traxerunt et aqābē sa'at, qui in loco Quarār erat, tradiderunt dicentes: « Hunc monachum accipe, et firmissima vincula vinci, secundum regis mandata ». Cum haec audivisset, aqābē sa'at timuit; at pater noster Baṣalota Mikā'ēl propter vincula sua laetatus est. Loci quidem incolae eum valde dilexerunt et a vinculis solvere voluerunt: **sed* ipse recusavit, dicens: « Num quem rex vinxit vos solvetis? p 24. ego tres annos in vinculis egi! ». Tum incolae, ad praefectum *provinciae* Ṣerā' progressi, ei dixerunt: « Cur iste Domini vir in vinculis manebit? ». Ṣerā' praefectus dixit eis: « Eum solvite, sicuti vultis ». Et patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl solverunt.

Paucos post dies, ad filium suum Sāmu'ēl ire statuit. Cum iter faceret, Gabra Nāzrāwi, eius dilectus, occurrit. Eo loco pernoctaverunt. Mane, cum illucesceret, ad filium suum Sāmu'ēl ivit. Sāmu'ēl, cum suis discipulis, eum magno gaudio recepit. Tum discipuli ei dixerunt: « Hierosolymam ire volumus ». At pater noster Baṣalota Mikā'ēl: « Sanctorum autem civitas est caelestis Ierusalem, inquit: constantes sitis, filii mei, ut David dixit[1]: Patientes estote, et cor vestrum firmate ».

[1] Cfr. *Psalm.* XXVI, 14.

Olim, cum eucharistiam celebrerat, fratres panem, qui super patenam erat, in puerum splendentem et super sacram mensam procumbentem converti viderunt. Pater venerandus Baṣalota Mikā'ēl lacrimas quasi aquae fons effundebat, flebat et in missae precibus clamabat: puer, cum super altare iaceret, ridebat, sicut puer iacens qui matrem adspiciendo laetatur. Cum pater noster Baṣalota Mikā'ēl ad preces fractionis panis pervenisset, puer, femoribus nudatis, ei latera, ut frangerentur, offerebat. Cum *sanctus* pueri carnem rupisset, illa manibus patris nostri Baṣalota Mika'ēl in eucharisticum panem pro more convertebatur: at pueri latera, ut antea, ad puerorum normam quasi tenera caro apparebant, neque fractionis vestigium neque defectus erat ob ea quae e *puero* exceperat. Etiam sanguinem suum in calicem redemptionis effundebat. Fratres cum vidissent expaverunt, quod hoc mysterium respexerant, et nihil alter cum altero locuti sunt. Missae precibus absolutis, puer a fratrum oculis evanuit, et panis fragmenta in patena, vinum in redemptionis calice manserunt. Fratres in gaudio timore mixto, in laetitia tremore commixta
p. 25. sacrum mysterium receperunt. Ab *eucharistico sacrificio cum egressi essent, fratres patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl interrogaverunt dicentes: « Beatus venter qui te portavit! beata ubera quae te aluerunt [1]! Benedicta est hora in qua conceptus es et benedicta dies in qua es natus [2]! Nonne vidisti hodie quae pro te Dominus egerit, quomodo eucharisticus panis in iucundissimum puerum conversus sit? Ipsum, te tangente, laetari, teque frangente, ridere et tibi latera alternatim super calicem remittere vidimus ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit eis: « Mihi autem non imago pueri apparuit, sed tantum panis pro more visus est. Sed in cordibus vestris incredulitatem fuisse suspicor, cum diceretis: 'Num panis in carnem Christi et vinum in eius sanguinem converti possunt?'. Quapropter, pueri imago, cum sacrificaretur, vobis manifestata est ». Ei responderunt: « Te suppliciter rogamus ne ex inde alius, praeter te, nobis sacramentum altaris celebret ».

Inde, ei dixerunt: « A te aliquid quaerere volumus ». Et pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit eis: « Dicite, quaeso: quae vultis quaerite ». Sancti ei dixerunt: « Num cum rege de eius nuptiis

[1] Cfr. Luc., xi, 27. — [2] Cfr. Iob, iii, 3.

cum patris uxore locutus es? ». Et Baṣalota Mikā'el eis respondit: « Cum eo hucusque collocutus non sum; nam in carcere, in durissimis vinculis steti ». Sancti ei dixerunt: « Nunc cum rege colloquere; eum timere noli ». Et dixit pater noster Baṣalota Mika'el: « Loquar, neque timebo, si hoc Domino gratum est et ille me exaudiet ». Sancti dixerunt: « Si quis autem regem monere ausus erit dicens: 'Tibi patris tui uxorem in matrimonium ducere non licet', nonne ei martyrium erit, et ipsum flagellis verberabunt, aut cruciabunt, aut in vincula coniicient et in exilium expellent, aut interficient hac de causa? ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit eis: « Martyrium erit, sane: sed ieiunemus et deprecemur et suppliciter oremus ut Dominus nobis virtutem sustinendi labores concedat. Cum viae nos committemus, neque triticum pro itinere, neque saccos ad cibos recipiendos, neque stragula lateribus nostris, neque soleas nostris pedibus, neque calices ad bibendam aquam neque pateras ad *ferculum edendum feremus: ex vobis nemo p. 26. suscipiat nisi baculum quod in manu sua est, et crucis signaculum quod est super seipsum, et ferream palam qua terram fodiemus, ut, si frater moriatur, sepeliamus ». Hunc ad modum, molestum iter, calamitatibus quidem pressi, aggressi sunt; modo ieiuni pernoctabant, modo *ab incolis* benigne excipiebantur.

Unus filiorum eius, cui nomen erat Endreyas, dixit: « Patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl interrogavi: 'Tibine a Domino revelatum est, o pater noster Baṣalota Mikā'ēl, utrum Sancti Spiritus auxilium super nos descensurum sit, ut martyrii afflictiones propter Domini praecepta, ius et legem sustinere valeamus?'. Et mihi Baṣalota Mikā'ēl: 'Sane, inquit, mihi revelatum est auxilii spiritum super nos descensurum: fratribus enim me interrogantibus et dicentibus: 'si quis regem de noverca monebit, nonne ei martyrium erit?' cum responderim 'sane, erit', tum Sanctum Spiritum super omnes descendentem adspexi' ».

Sancti cum patre nostro Baṣalota Mikā'el, fame et siti omnibusque molestiis *pressi*, iter fecerunt, et e regione Tegray usque ad civitatem *regionis* Sewa, cui nomen est Sawan, venerunt; eo enim rex erat.

Cum sancti ad castra regis pervenissent, homo a daemonio agitatus, qui nudus, vestibus reiectis, currebat, advenit: populus,

amentia territus, ab eius conspectu se propipiebat ne iniuriis afficerentur aut vulneribus laederentur. Pater noster Baṣalota Mika'el *discipulis* dixit: « Ego quidem ad hunc dementem excipiendum progrediar ut me de futuris monitiones doceat ». Sancti ei dixerunt: « Qui mente deficiente semetipsum perdidit, quomodo te monebit? qui homines virgis saxisque expulit quomodo te admonitionum verbis excipiet? » Baṣalota Mikā'el eis respondit: « Nonne audivistis quae Paulus ait [1]: 'Huius mundi stulta elegit Dominus ut confundat sapientes?'. Rursum, nonne audistis quae ait Iacobus apostolus [2]: 'Daemonia
p. 27. cognoscunt et contremiscunt?'. Et Acta Apostolorum [3]: 'Erant autem quidam Iudaei, qui socios mendaces exorcizare coeperunt, et eis dicebant: Adiuramus vos per nomen Iesu, cuius in nomine Paulus docet. Et qui haec faciebant Iudaei erant servi principis sacerdotum. Daemonium eis respondit et dixit: Iesum novi et Paulum scio: vos autem unde *estis*? Daemonium illud in eos insanivit, ipsos aggressus est, vicit, vulneravit et ex eorum domu expulit'. Et in Evangelio [4] dicitur: 'Regressi sunt homines illi in laetitia et dicebant: Daemonia subiiciuntur nobis in nomine tuo et nobis submittuntur'. His dictis, pater noster Baṣalota Mikā'ēl hominem qui daemonium habebat adivit, atque ei dixit: « Mihi quae animae meae congruunt dic, sicut Dominus tecum locutus est ». Daemonium illud, pedibus saltans et manibus plaudens, ei dixit: « O Baṣalota Mikā'ēl, ubi es eo loco fortis esto, et in illis quae cogitasti persevera: propter iustitiam certa, regredi noli! ». Sancti admonitionum rectitudinem, quae propter vim fidei patris nostri Baṣalota Mikā'ēl e dementis ore egressae erant, mirati sunt.

Inde, rumor de sanctis et de eorum conventu apud regem Amda Ṣyon auditus est. Rex praefectos et principes, tribunos militum, magno apparatu exornatos, covinarios [5] in loricarum pompa cum hastis gladiisque, equites in equorum pompa cum armis praelio idoneis, pedites in pompa clypeorum, telorum et arcuum venire iussit. Coram *rege* instructi steterunt. Leones

[1] I *Cor.*, I. 27. — [2] Iac., II, 19. — [3] *Act.*, XIX, 13-16: textus corruptus. — [4] Luc., X, 17. — [5] *Mastaṣe'enāna saragallāt* « curribus insidentes ». Nunquam autem Aethiopes curribus in praelio usi sunt; ne curros quidem usque ad recentissimum tempus cognoverunt Hoc ad sacrorum Librorum imitationem fictum videtur.

terribiles et formidabiles ante se ligari iussit. Haec omnia rex fecit ut monachi expavescerent et reprehensiones omitterent. Tum vestibus oculos ferientibus se induit, capiti augusta *imperii p. 28.
signa imposuit et carpus armillis cinxit: pulcherrimus erat, metuenda maiestate insignis, facie egregius, et magnis oculis praeditus.

Tum sanctos deduci et in regias *aedes* introduci iussit: milites eos, clypeorum fulgore hastarumque sepe circumdatos, adduxerunt et coram *rege* consistere fecerunt. Rex sanctis locutus est: « Cur venistis? ». Pater noster Baṣalota Mika'ēl ei respondit: « Ut tecum de iustitia colloqueremur ». Rex eis dixit: « Dicite; mecum loquimini! ». Baṣalota Mikā'ēl magna voce respondit et dixit: « In initio creavit Dominus caelum ». Tum regi creationem mundi enarravit: tum parentum ortum et diluvii descensum propter humanae gentis peccata; tum ei Abrahami, Isaaci et Iacobi historiam et Domini amorem in ipsos, quod eius praecepta servaverant, enarravit. Rursum, quomodo Dominus Sodomam et Gomorrham propter incolarum peccata subvertit, enarravit. Rursum, ei enarravit quomodo Dominus legem dederit, atque pura ab impuris, edenda a non edendis, nubendas a non nubendis distinxit: « Dixit enim Dominus Moisi[1]: « Ego sum Dominus, Deus vester: nemo ad proximum sanguinis sui accedat, ut revelet turpitudinem eius, namque ego sum Dominus. Non revelabis turpitudinem patris tui neque turpitudinem matris tuae, tua enim mater est: eius turpitudinem non revelabis, patris tui turpitudinem non revelabis, nam patris tui turpitudo est ». Alio loco ait[2]: « Qui cum uxore patris sui recubuerit, patris sui turpitudinem revelavit: morte moriantur ambo, ambo scelesti sunt ». Et Paulus ait[3]: « Utrum vultis me ad vos venire in virga an in amore et in mansuetudine? nonne audita est inter vos fornicatio, *et talis fornicatio p. 29.
qualis inter gentiles non fit, praesertim ut uxorem patris sui aliquis in matrimonium duxerit? Vos autem inflati: an deflevistis ut tollatur e medio vestrum qui id fecit? Ego quidem a vobis absens corpore, praesens autem spiritu sum, et ecce sum quasi vobiscum essem. Qui hoc fecit, congregatis vobis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, et spiritu meo, per Sancti Spiritus

[1] Cfr. *Lev.*, XVIII, 67. — [2] Cfr. *Lev.*, XX, 11. — [3] Cfr. I *Cor.*, IV, 21; V, 1-5.

virtutem, illum Satanae tradite, ut eius caro vinciatur et spiritus, in die adventus Domini nostri Iesu, redimatur ». Audi, tibi dicam quomodo Dominus creata omnia creavit, et leges hominibus constitutionesque dedit. Dominus nos christianos duas uxores ducere, concubinas possidere, ad alius uxorem intrare vetuit. At Domini praecepta omnia apud te praetermissa sunt, et praesertim, quod magis est, patris tui uxorem in matrimonium duxisti. At ceteras feminas, quae multae sunt numero, hariolas et sacrificulas non dimisisti ». Rex autem dixit: « Quae patris mei uxor est? ». Pater noster Basalota Mikaʾel dixit ei: « Zān Mangesā est uxor patris tui Wedem Raʾada ». Rex autem: « Wedem Raʾada pater meus non fuit, me non genuit! ». Haec rex praetextabat, quia eius patris fratrem, Qedma Sagada, cum eius matre recubuisse, et ipsum *regem* e *Qedma Sagada* genitum esse ei narraverant. Quapropter dixit: « Me non Wedem Raʾada genuit! ». Rex magna ira exarsit. Magistri militum regis, eum ira incensum cum vidissent, sanctos flagellare inceperunt; et magna pertubatio fuit et tumultus, ita ut alter alterius vocem, magni clamoris causa, non perciperet. Rex, e regia sella surgens, hasta stricta, sanctos a flagellatoribus dimitti iussit, et militibus dixit: « Unumquemque prehendite, neque alter cum altero hac nocte conveniat: cras, ad me eos reducite! ». Regis milites illos traxerunt: sancti, contumeliis afflecti, in vigilantia et Dominum deprecantes pernoctaverunt.

Mane, eos ad regem deduxerunt et in eius conspectu sta-
p. 30. tuerunt. *Cum eos adspexisset, regis cor ira exarsit, et monachorum unumquemque septem flagellis flagellari et cruciari iussit. Eorum sanguis fluxit quasi aqua. *Tum* ignis e loco quo vexabantur egressus est, et usque ad regis ianuam flammas emisit: diu noctuque exarsit. Rex propter hunc ignem expavit, atque milites ut e flumine aquam haurirent et in ignem proiicerent praecepit. Dum regis exercitus in *ignem* proiiciunt, ignis tribus in locis apparuit. Denuo rex populi multitudinem in eum aquam proiicere iussit. Dum proiiciunt, ignis rursum septem in locis apparuit. Tum rex magni fluminis cursum averti, ad ignem irae Domini extinguendum, iussit: tunc ignis omnibus in locis diffusus est. Regina Zān Mangasā regi Amda Ṣyon dixit: « Num cum aqua ignem ardentis irae Domini extingues? ».

Dein, albae muscae advenerunt et equos mulosque momorderunt: muscarum morsibus magna animalium copia periit. Tum rex, terrore correptus, noctu cum populo suo secessit. Inde, rex sanctos cum patre nostro Baṣalota Mikā'ēl vinctos in exilium compelli et in regionem *terrae* Ṣawan, cui nomen est Darā, conscendere iussit: cui *regioni* unus tantum est egressus et unus est ingressus; praecipitiis enim *ea* circumdatur. Qui *vero* super *hunc montem* incolunt Moslemi (tanbalat) erant, Christum non cognoscebant, et homines interficiebant: rex, si ab aliquo poenam petebat, ad eos mittebat, ut pro eo ultionem sumerent.

Cum ad eos pervenisset, *sanctus* evangelium regni caelorum eis praedicavit et quasi lucis columna eos illuminavit. Eius praedicationis gratia, crediderunt et dixerunt: « Nos baptiza, quaesumus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl eis respondit: « Ite, cum rege colloquimini: vos in Christum credere ei dicite ». *Dara [1] p. 31. incolae ei dixerunt: « Quis nos ad regem introducet? » Pater noster Baṣalota Mikā'ēl eis respondit: « Ad tabernaculi sacerdotes ite; ii cum rege loquentur ». Quemadmodum dixerat Baṣalota Mikā'ēl, Dārā *provinciae* Moslemi (tanbalāt) profecti sunt, ad tabernaculi sacerdotes pervenerunt et eis dixerunt: « Ut baptizemur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti volumus ». Tabernaculi sacerdotes iverunt et quae Dara *provinciae* Moslemi dixerant regi rettulerunt. Rex Moslemos ingredi iussit, atque eis dixit: « Quis vos, ut in Christum credatis et christiani sitis, docuit? ». Moslemi ei responderunt: « Apud nos est monachus captivus, qui hinc advenit; ipse nobiscum collocutus est ». Rex dixit: « Baṣalota Mikā'ēl est, quem ego in exilium expuli; regni enim castra perturbavit. Ecce eo etiam *populos* persuasit! Quid in hunc perturbatorem agam? ». Et dixit Moslemis: « Ite; in patrum vestrorum lege manete [2] ». Moslemi, in tristitia, ad patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl regressi sunt. Sanctus dixit eis: « Filii mei, tristes

[1] In codice aliquando Darā, saepius tamen Dārā scriptum est nomen. — [2] Aethiopiae reges et principes, religionis praetextu, incursiones in finitimos populos islamicos vel ethnicos praedandi causa (quod autem tributa colligere dicebant) facere cupiebant; quare, istorum ad Christi fidem conversionem saepe gratam non habebant.

esse nolite: remotam regionem, urbes, in quibus ecclesiae inveniuntur, petite. Unusquisque vestrum proficiscatur, et baptisma atque sanctum mysterium suscipiat. Inde, huc regredimini ». Profecti igitur sunt et iuxta patris nostri Baṣalota Mikā'ēl mandatum fecerunt; baptismate et sancto mysterio susceptis, ad eum in gaudio reversi sunt. Ipse, eos Domini praecepta docens, illic mansit.

Ex *Dārā incolis* quidam erat, Abrehām vocatus, quem pater noster Baṣalota Mikā'el diligebat; ei, postquam *incolae* baptisma susceperant, Abrehām nomen pater noster Baṣalota Mikā'ēl imposuerat. Olim, pater noster Baṣalota Mikā'ēl ei dixit: « Te pisces mihi captare mihique mittere cupio, nam Redemptoris nostri nativitatis in carne festum advenit ». Abrehām, quemadmodum pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixerat, ad pisces captandos profectus est: flumen enim ubi sunt pisces remotum erat. Aegre apud hominem quendam invenit et tres pisces assatos ad patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl misit. Cum autem
p. 32. *qui pisces deferebat* tardaret, pater noster *Baṣalota Mikā'ēl sanctis dixit: « Cenandi tempus advenit; ad cenaculum eamus, ne communitatis cena, secundum sanctorum regulas, praetermittatur ». In domum, in qua mensas pro sua inopia paraverant, cum ingressi essent, dum cenae preces recitant, pater noster Baṣalota Mikā'ēl subrisit; prophetico enim spiritu, qui super eum erat, quid in itinere accidisset cognovit. Nam qui ab Abrehām missus fuerat ut pisces deferret, ex tribus assatis piscibus unum in arbusculis abdiderat. Sancti patri nostro Baṣalota Mikā'ēl dixerunt: « Quid te ad risum movit? ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl *eis respondit*: « Iter faciendo quidam me spoliavit: piscem reliquit, duos attulit ». De is cum colloqueretur, qui ab Abrehām missus fuerat pervenit et patri nostro Baṣalota Mikā'ēl: « Pisces illos, inquit, accipe: nam post magnas investigationes inveni: qua de causa eos mittere moratus sum ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit: « Dominus benedictiones suas multiplicet ». Et ei qui missus fuerat: « I, ait; cum regredieris, *nemo* in itinere a te rapiat ». Legatus haec verba in corde suo non infudit. Cum ad locum in quo piscem assatum abdiderat pervenisset, manum ad eum excipiendum porrexit: at piscis assatus, in draconem magnum conversus, se movit, et caput extulit ut puerum morderet. Puer

e draconis conspectu aufugit; inde [1], aufugebat, clamabat et dicebat: « Me, sancti, adiuvate! me adiuvate! me, o Baṣalota Mikā'ēl, adiuva! » Cum clamorem audivissent, sancti in communitatis cena [conturbati sunt. Cum dicerent: « Quid est hic clamor ruri? », pater noster Baṣalota Mikā'el eis locutus est: « Venite, egrediamur, ut Domini virtutem adspiciamus ». Cum egressi essent, puer venit, et patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl amplexus: « Hominem, inquit, mei instar te esse putavi, et unum e piscibus quos tibi afferebam furatus sum. Cum rediissem ut *piscem* susciperem, ecce ille in draconem conversus, me persecutus est ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl *respondit: « Ego quidem peccator sum et improbus, p. 33. sed Domini castigatio tibi terrorem hac formidanda visione iniecit ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl draconi benedixit dicens: « Ad pristinum statum, Iesu Christi virtute, revertere! ». Draco in piscem assatum reversus est. Sancti omnes mirati sunt, laudes Domino tribuerunt, ad patris nostri Baṣalota Mikā'ēl pedes se prostraverunt et dixerunt: « Prophetam magnum nobis excitavit Dominus; apostolum novum nobis excitavit Dominus; caelestem hominem terrestremque angelum nobis excitavit Dominus; militem fidei causa pugnantem et bellatorem *Trinitatis* gladio certantem nobis excitavit Dominus ». Sancti ad communitatem regressi sunt. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl sanctis dixit: « Quid de hoc pisce assato faciendum? Si edemus, nobis sub draconis speciem se ostendet; si abiiciemus, Domini miracula super ipsum manifestabuntur. Venite ergo: eius carnem spinasque igne ustulemus, oleo condiamus, et in cornu immittamus ut aegrotis medicamen sit ». — Seniorum unus dixit: « Postea, propter piscis carnem, quam igne ustulaverant et oleo condiverant, caecorum oculos vim recuperavisse, leprosos mundatos fuisse oculis meis vidi ».

De eius prodigiis rumor regi auditus est. Rex sanctos illinc expelli et ad lacum magnum, cui nomen est Zewāy, adduci iussit. Lacus vero profundissimus est atque amplissimus; nemo in eum, praeter (*sine?*) w a b a l [2], ingreditur. Ad insulam sanctos adduxerunt. Eius incolae ethnici (a r a m i) erant, legum

[1] *Sic* ms., sed *emza* pro *emz* legendum, et « cum aufugeret » intelligendum puto. — [2] Vocis w a b a l (si recta est codicis scriptura) sensum ignoro.

institutionumque ignari, carne mactata et non mactata vescebantur, hippopotamos ceteraque animalia, quae *christiani* non edunt, comedebant. Ibi, in ieiuniis et precibus magnisque afflictationibus steterunt, toto corde et ardentissimis lacrimis Domino ministrantes.

p 34 Dein, rex *sanctos* e lacu educi iussit et *praeconem misit qui circumiret et haec diceret: « Sancti illi in Siwā finibus praedicent et homines doceant! ». Sancti *igitur* per totam Siwa terram praedicaverunt, atque ut *incolae* ab idolorum cultu, divinatoria scrutatione ceterisque ad idololatriam pertinentibus desisterent effecerunt.

Inde, *Baṣalota Mikā'ēl* cuidam e filiis suis fidelibus dixit: « Tranquillum locum mihi quaere! ». Fidelis ille respondit ei: « Sane, pater; voluntatem tuam perficiam ». Iucundissimum locum quaesivit et illic patrem nostrum Baṣalota Mika'el cum paucis discipulis deduxit: *sanctus* ceteros discipulos ad sua loca regredi, ut in terra Siwā evangelium regni caelorum praedicarent, iussit. Eius discipuli, sicut ipse praeceperat, Siwā *terrae* incolas a divinationibus, hariolationibus ceterisque ad idola pertinentibus averterunt, et scortationes et fraudem et omnia quae Domino odiosa sunt ab illis removerunt.

Rex ad hostium regionem, ut defectores peteret bello, ivit [1]. *Hostes* ad fidem patris nostri Baṣalota Mika'el nec non ad fidem discipulorum eius conversos esse auditu accepit. *Tum* patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl eiusque discipulos in vincula coniici iussit. Patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl in vincula coniecerunt, cum annos duos in tranquillo loco egisset: huius regionis nomen est Nār'et [2]. Eum vinctum donec rex e bello rediret detinuerunt. E bello reversus, rex patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl cum discipulis omnibus deduci iussit. Tunc, eis terribili sua magnificentia insidiatus est, ut imperii maiestate terrorem eis iniiceret. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl discipulis dixit: « Expavescere nolite, o filii mei; hic enim regis terror non a Domino sed ab osore est: qui, vero, diaboli consilio minatus est virtute Domini superabitur ». Rex illos coram se admittere timuit: antea enim eum suis reprehensionibus terruerant. Qua re legatum ad *sanctum* misit qui diceret: « Cur pro

[1] V. supra pag. 27. — [2] Vel Enāret legendum?

me non oratis, ut decet pro regibus precari? ». *Pater noster p. 35.
Baṣalota Mikā'ēl ei misit : « Num pro omnibus regnantibus precari decet? Omnesne super iudicii thronum sedentes ' dilecti Domini ' dicuntur? Nonne Moises et Aron Pharaoni restiterunt? super eum Aegyptique populum duodecim plagas miserunt. Samuel Saulo dixit [1] : ' Quia Domini vocem contempsisti, Dominus te contemnit '. Elias Achabum redarguit [2] et eius diebus, per annos tres mensesque sex, imbres prohibuit ». Legatus profectus est et verba patris nostri Baṣalota Mika'ēl regi rettulit. Rex ad patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl misit qui diceret : « Pro peccatore autem non precamini, ait Dominus [3] ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl respondit : « Quid est peccator, nisi ut Dominus eum ad paenitentiam rediget? ». Et legato : « Age, inquit, haec regi dic : Propter maiestatem tuam non timeo, propter cruciatus tuos non tristor. Si me hastis confodi iusseris, Ezechielem meminero : si ad leones in pastum proiici, Danielem meminero : si in fornacem ignis mitti, Ananiam, Azariam et Misaëlem ; si serra secari, Isaiam ; si saxis lapidari, Ieremiam ; si cultro caput praecidi, Iohannem filium Zachariae, quem Herodes propter Herodiadem, Philippi fratris suis uxorem, interfecit ; si alios in me cruciatus attuleris, apostolos sanctissimos et martyres victores, qui passionem passi sunt omnes, meminero. Num sanctos putas maiestatis tuae causa, non vero humilitate subigendos esse? Nonne antiqui reges [4], hostibus surgentibus, deprecabantur, sanctorum cellas pulsantes, ut auxilium in proelio invenirent? Tu autem sanctis minaris! Putasne in nos, miseros, certare? Nonne in Dominum certas, *cui et animas et p. 36.
corpora nostra tradidimus? ». His ab *ore* legatorum auditis, rex expavit valde, et legatum misit qui diceret : « Parce mihi, pater! nunc vero voluntatem tuam faciam. Sacerdotes mei, ut eis verba vitae exponas, venient ; si vero apud me consistere vis, ut doceas et quae me iuvabunt exponas mane ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl ei respondit : « Propter peccata tua est tibi apud Dominum lis, nec non propter populi peccata. Propter autem monachorum peccata, tu obiurgaberis ».

[1] Sam., xv, 23. — [2] I *Reg.*, xviii. — [3] *Sic* ms.; textus autem corruptus videtur. Forsan legendum est : « Num Dominus dixit : pro peccatore non precamini? ». — [4] Haec ad regis Kāleb et sancti Panṭalēwon historiam alludere videntur.

At rex: « Cur propter monachorum peccata obiurgabor? ». Et pater noster Baṣalota Mika'ēl: « Cur igitur monachi cum viduis habitant? Monachi soli maneant, quia ignem et herbam in uno loco esse dedecet ». Tum rex praecepit: « Praeco circumeat et dicat: 'Si monachus *cum muliere* inventus sit, bonis spolietur; praefecti eius bona, eius peculium diripiant, ipsumque cum moniali quae ei ministrabat, ut poenas flagello exsolvant, ad me deducant! ». Inde, pater noster Baṣalota Mika'ēl pacem pactus est, et rex pacem composuit: *ille* domum rediit [1].

Rursum, regi dixerunt: « Hic monachus, cui nomen est Baṣalota Mikā'ēl, milites tuos omnes ad paenitentiam redegit ». Et rex interrogavit: « Quinam ad paenitentiam redacti sunt? ». Eorum nomina, virorum et mulierum et praefectorum, rettulerunt. Mulier erat quam antea rex in matrimonium ipse duxerat et dein cuidam suo Amharico militi [2] dederat. Illam ad paenitentiam redactam esse et concubitum viro recusare regi rettulerunt. Dixit rex: « Illam in cubili meo ut polluam ad me deducant! ». Legatus qui illam adduceret missus est. Is cum advenisset, mulier ad patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl misit qui diceret: « Precibus tuis adiuva me, pater! vigilias vigiliis adde, nam-
p. 37. que, ecce rex *ut paenitentiam dimittam et in eius cubili polluar, me ad se deduci iussit ». Nuncius, labente in vesperam die, cum sancti in cenaculum ingrederentur pervenit. Dum cenae preces recitant, patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl de nuncii adventu certiorem fecerunt. Illum priusquam sancti aliquid degustarent introduci iussit; mulierem enim summa benevolentia prosequebantur. Legatus nuncium rettulit. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl sanctis dixit: « Nemo vestrum cibum vel aquam degustet, nemo habitaculum petat, nemo hac nocte somnium palpebris suis det! ». Omnes ad ecclesiam duxit, et feminalia arcte cingere praecepit; tum, vestes et cucullos deponere iussi sunt, et nudi manserunt. Noctem integram magnis in supplicationibus egerunt: alii in genua pro suis viribus provolvebantur:

[1] Forsan *mesla negus* legendum est: i. e. « Pater noster Baṣalota Mikā'ēl cum rege pacem panxit et composuit, et domum rediit ». — [2] *Lalamḥarāhu:* in vulgari hodierno eloquio interdum *amḥarā* = « miles, servus Amharicus ». Si autem *lalemḥarāhu* legendum putas, « cuidam ex suis militibus » interpretandum est.

alii lacrimas ex oculis ut imbris stillas profundebant; alii stantes ut obelisci perseverabant; sacerdotes a vespere usque ad primam diei lucem vicissim tus altari ingerentes supplici-ter oraverunt. Nocte illa, rex in ancipitem morbum delapsus est, adeo ut mors immineret. Rex familiaribus suis dixit: « Nulla alia causa est cur hic morbus me invasit, quam Baṣalota Mikā'ēl preces, quia ut mulier, quae in eo confidebat, adduce-retur praecepi. Nunc vero quo antea erat redeat ». Et patri nostro Baṣalota Mikā'ēl misit dicens: « Me sanitati ex hoc morbo, qui propter iussa de muliere tibi commissa me invasit, restitue, o pater! Nunc vero ut ipsa ad pristinum locum regre-deretur mandavi. Loricatos equites ad aedes discipulorum tuo-rum delendas missos nunc revocari iussi. Tum autem parce mihi, pater, sicut Dominus pater tuus! Si Dominus precibus tuis sanctis me sanitati ex hoc morbo restituerit, secundum praecepta tua vitam agam ». Rex cum legato sacerdotes et diaconos ut pa-trem nostrum Baṣalota Mikā'ēl obsecrarent misit. *Illucescente p. 38. die, pater noster Baṣalota Mikā'ēl monachos vestes sibi induere, cingulum cingere, cucullum sibi imponere, pallio se amicire ius-sit. Tum regis legati, sacerdotes et diaconi advenerunt, nuncium totum ei rettulerunt, eumque ut pro regis valetudine Dominum oraret deprecati sunt. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit eis: « Quis haec omnia fecit, nisi vos, clerici, qui sermonibus ve-stris regem beatum praedicatis, laudibus extollitis et dicitis: Quis sicut tu strenuus, et quis sicut tu triumphator, et quis sicut tu in omnibus liberalis, et quis sicut tu eleemosynarum largitor? Vobis celebrantibus, peccata peccatis addit, quemadmo-dum Isaias ait[1]: ' Populo meus, qui *beatum te dicunt ipsi* te decipiunt et vestigia pedum tuorum perdunt ' ». Sacerdotes et regis milites *sancto* dixerunt: « Pater, nos quidem secun-dum praecepta tua vitam agemus. Rex vero dixit: ' Si ex hoc morbo sanabor, quae iusseris perficiam ' ». — Pater noster Baṣalota Mikā'ēl eis respondit: « Regem non se conversurum neque peccatorum suorum paenitentiam acturum cognosco; sed Dominus illum sanitati a morbo restituet, ne eius mors propter verba mea accidat ». Sacerdotes ei dixerunt: « Pedum tuo-rum pulverem da nobis, quaesumus, ut *regi* ad integram va-

[1] Is., VIII, 12.

letudinem confirmandam deferamus ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl respondit eis: « Pedum meorum pulverem vobis non dabo; sed ite, et regem a morbo sanatum invenietis! ». Sacerdotes et qui missi fuerant omnes profecti sunt, et regem a morbo sanatum invenerunt.

Dein, pater noster Baṣalota Mikā'ēl in illo loco stetit, in anachoretica vita, cum spiritale certamen certaret discipulosque evangelium regni caelorum doceret. Olim, ut eucharistiam celebraret ad mysterii ordinationem ingressus est. At scorpio, ut ei noceret, eius vestibus perfossis, *sanctum* magnis morsibus vexavit. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl missam non abrupit, neque manum in sinum ad scorpionem conquirendum immisit;
p. 39. sed laudationes, manibus extensis, absolvit et *sanctum mysterium populo tradidit. Missa absoluta, eius caro debilitata est animusque defecit. Sancti illum morbo correptum esse putaverunt, neque scorpionem sinum eius morsibus vexavisse intellexerunt. Cum autem eius corpus manibus scrutarentur, scorpionem et *patris nostri* carnem aegrotam scorpionis veneni iniectione lividam invenerunt: optimi viri constantiam celebraverunt et laudaverunt. Quam mirabilis fuit magnitudo constantiae patris nostri Baṣalota Mikā'ēl! Quam mirabile fuit eius laborum certamen, quod gratum hominibus et praemio affectum est apud Dominum! O pater, quo modo *statim* cauda scorpionis te aegritudine non affecit et sui veneni emissione *statim* non vexavit? O pater, quo modo talem adflictionem sustinuisti? O pater, quo modo a missae initio usque ad finem perseveravisti? O pater, Deo tuo in sancta eucharistia sacrificavisti ut populo salutem animae traderes: te ipsum constantia adflictionis, scorpionis acerbitate productae, sacrificavisti. Sacrificii tui odor usque ad caelum adscendit et coram throno Illius qui omnia accipit pervenit. O pater, sacrificium tuum, sicut laudes Cherubim et sicut odor turis Seraphim, acceptum fuit. O pater, Aethiopiae magistrorum princeps! O pater *genitor* monachorum regionis Ag'azi! O pater, qui in exilio tuo laetabaris sicut homo qui magnam praedam invenit, et in vinculis exultabas sicut homo qui ad nuptiarum domum procedit! O pater, quando sanctuarium ingrediebaris, vultus tuus conspicuus erat quasi hominis qui annotinum vinum bibisset! Quando prostrationes incipiebas, eas quasi equorum cursus celeres reddebas. O pater, quando manus tuas

ad deprecandum extendebas, corpus tuum effusione lacrimarum lavabatur; quando docebas, gratia e labiis tuis effundebatur. O pater, cum in regio foro esses, cor tuum exardebat ut ursa pariens vel fera agrorum saeva; in ira tua prosequebaris quasi leo rugiens et ferae ululatum edentes, quasi pardus prosiliens, relicta matre, ut aggrediatur venatores persequentes. O pater, num tibi caro non erat, quod dolores non timebas? O pater, *num carnis debilitas tibi non erat, quod regii fori p. 40. cruciatus non timebas? O pater, memento mei in precibus tuis; iusti enim preces potentiam et potestatem habent [1].

Nunc vero redeamus, ut patris nostri Baṣalota Mikā'ēl historiam exponamus. Olim, monachorum unus ei dixit: « O pater, in eodem loco, in charitate et in anachoretica vita, maneamus » Baṣalota Mikā'ēl ei respondit: « Si monialis tibi est, tecum non manebo ». Ille monachus contra: « Mihi monialis non est ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl ei dixit: « Si monialis tibi non est, hic manere nos non decet; in alium locum devertamur ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl ei parvulam cellam fecit, et monachus illic commoratus est. Die quodam, cum ille abesset, monialis venit et dixit: « Me ad patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl ducite quaeso ». *Sancti* vero filii *mulieri* dixerunt: « Ad eum ingredi nequis ». Illa dixit eis: « Hinc quidem, antequam a *sancto* absolutionem a peccatis meis acceperim, non discedam ». Monialis verba patri nostro Baṣalota Mikā'ēl cum rettulissent, pater noster Baṣalota Mikā'ēl *filiis suis* dixit: « Dicite ei: Peccata tua huic sacerdoti fatere! ». Monialis peccata sua omnia, et monachum illum, qui monialem secum habere negaverat, virginitatem suam corrupisse *sacerdoti* confessa est. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl sacerdotem illum ad monialem misit dicens: « Haec paenitentia est; hunc ad modum ieiuna. Ad monachum illum iterum iam redire noli! ». Et ipsam ad Filpos, filium suum, abduci iussit, ad quem legatum misit qui diceret: « Hanc ovem, quam e lupi ore eripui, accipe, et tu secundum monasticas regulas custodi quaeso ». Cum reversus esset, monachus ille patri nostro Baṣalota Mikā'ēl dixit: « Monialem meam mihi redde! ». Et ei pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit: « Monialem tibi non

[1] Cfr. Iac., v, 16.

esse nonne antea dixisti? Nunc vero monialem tuam non servabis! ». Monachus magno furore exarsit, cui pater noster Baṣalota Mikā'ēl: « Quid vero a te discessit, ut in me tanta
p. 41. ira desaevires? ». — *Diaconus quidam, qui apud patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl Vetus Novumque Testamentum didicerat, in alium locum profectus, se sacerdotem esse iactavit, et, cum sacerdos non esset, eucharistiam confecit et celebravit. Patri nostro Baṣalota Mikā'ēl illius facinora rettulerunt. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl illum vocari iussit. Cum venisset, pater noster Baṣalota Mikā'ēl, ira in eum exardescens, ei dixit: « Ad quid haec patrasti? Cum ne Angeli quidem Christi carnem tangere audent, quomodo tu, pulvis, cum sacerdos non sis, ausus es? Haec si audivissent, te lapidibus obruissent! » Ille autem respondit: « Pater, beatissime pater, paenitentiam mihi impone, quaeso ». Et ei dixit pater noster Baṣalota Mikā'ēl: « Hunc ad modum ieiuna: hunc ad modum paenitentiam age ». Iterum autem ille ad pristinam stultitiam regressus est, et eucharistiam, Christi incarnationis die, confecit. Haec cum patri nostro Baṣalota Mikā'ēl relata essent, pater noster Baṣalota Mikā'ēl eum vocari iussit, et *discipulis* dixit: « Cavete ne cum illo sive in eucharistia sive in precibus communionem habeatis ». Post haec omnes, sive sacerdotes, sive diaconi, et populus universus illum deseruerunt. Deinde Satanas illius monachi cor, ut Iudam Domini venditorem, invasit. Diaconus ille, cum profectus esset, in monachum, qui monialis virginitatem corruperat, de quo antea rettulimus, incidit. Lupi ambo in ovem, accipitres in columbam, serpentes in purissimum virum, viperae malignae in legis doctorem benedictione plenum conspiraverunt. Ambo, ad regem progressi, patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl criminis arguerunt, dicentes: « Tibi, o rex, maledicit, dicens: Qui Pharaonem eiusque copias in profundo mari submersit, sic regem hunc cum eius copiis populisque submergat! ». Ad iram incitatus rex *patrem nostrum* in vincula cum filiis coniici et unde erat adduci iussit: eos in vincula coniecerunt et ad regis limina adduxerunt. Rex ad patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl qui diceret misit: « Cur mihi
p. 42. maledicis? ». *Respondit pater noster Baṣalota Mikā'ēl: « Ego autem tibi non maledixi. Libros nonne didici? Dominus enim ait: ' Vobis maledicentibus benedicite, et beneficia in oppres-

sores vestros conferte '[1]. Et Paulus ait[2]: 'Tibi maledicenti benedic'. In monasticis regulis dicitur quoque: 'Nec etiam diabolo maledicite'. Nunc vero, si ne diabolo quidem maledicere *Dominus* iubet, quomodo *monachi* regi maledicent? ». Rex patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl introduci praecepit, eique dixit: « Hi te maledixisse mihi rettulerunt »: et monachos ambos, de quibus antea locuti sumus, ei praesentavit. Et pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit regi: « Eorum alter, monachus, cuiusdam monialis virginitatis corruptor est: quam, cum ad me venisset et de illo conquesta esset, ne rediret *et* iterum ad eum accederet prohibui, et in alium locum propuli: illum vero secundum sanctorum disciplinam correxi et quin haec iteraret vetui. Alter autem apud me in diaconali dignitate commorabatur: alibi progressus, se, sacerdos cum non sit, sacerdotem esse praedicavit et eucharistiam celebravit: quae de eo cum mihi relata essent, ipsum reprehendi et ei minatus sum: haec vero egisse ille coram sacerdotibus confessus est: et in paenitentia pro usurpato sacerdotii munere eum sistere feci. Postea, ad pristinam stultitiam rediit. Tum omnes qui cum eo erant, quin cum ipso in precibus communionem haberent prohibui. Quapropter me mendaciter criminis accusaturi ad te progressi sunt ». Dixit rex: « Age; in illos pro voluntate tua statue, et pro lege tua, sicut scis, paenitentiam impone ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl ei salutem dedit, regi annuit et domum regressus est.

Olim, Nātnā'ēl, omnium eius filiorum maximus, ad eum venit. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit: « Ex aedibus Egzi' Kebrā sororis meae, ut cum Nātnā'ēl filio meo societatem ineamus, cerevisiam afferte! ». *Cerevisia in parva patera, aliam p. 43. enim in aedibus non invenerant, adlata, pater noster Baṣalota Mikā'ēl, patera altera sumpta, in utraque cerevisiam divisit: quae pateras usque ad oras implevit et propter eius preces abundantissima fuit, sicut viduae oleum omnia *vasa fictilia*, quae in eius domu erant, propter Eliae prophetae mandatum implevit[3].

Olim, cum Baṣalota Mikā'ēl pater noster et Za 'Amānu'ēl, Walaqā magister, simul in exilio essent, discipuli panem quem

[1] Luc., VI, 28. — [2] I *Cor.*, IV, 12. — [3] III *Reg.*, XVII, 14.

pro eorum cena in pistrina paraverant attulerunt. Za 'Amānu'ēl panis corruptus est neque pulcher *adspectu* fuit; panis autem patris nostri Baṣalota Mikā'ēl pulcherrimus visuque iucundissimus erat. Et Za 'Amānu'el discipulus dixit discipulo patris nostri Baṣalota Mikā'ēl: « Quae pro magistro tuo paravisti mihi trade, quaeso; magister enim meus ad iram propensus est, et si panem hunc corruptum videbit, mihi irascetur et me redarguet ». Patris nostri Baṣalota Mikā'el discipulus discipulo Za 'Amānu'el respondit: « Sicut dixisti, accipe; magister enim meus longanimis est ». Et panem patris nostri Baṣalota Mika'ēl in Za 'Amānuēl sportulam, panem vero Za 'Amānu'el in patris nostri Baṣalota Mika'el sportulam miserunt. Tum, ad vesperas, eis cenam in sportulis attulerunt. Cum sportulam Za 'Amānu'ēl aperire vellent, ipsa ne aperiretur restitit, quod patris nostri Baṣalota Mikā'ēl panis in ea erat. Totis viribus aperire conati sunt: eis restitit. Tum Za 'Amānu'ēl dixit discipulo suo: « Quid mali patravisti, quod sportulae meae operculum ne aperiatur renititur? » Discipulus respondit ei: « Peccatum tui metu commisi! Cum panis tuus in pistrina corruptus esset, huic socio meo dixi: Mihi panem magistri tui da, quaeso, ne magister meus mihi irascatur. Ut postulaveram, dedit. Hac de causa, suspicor, ne aperiatur sportula restitit ».

p. 44. At Za' Amānu'ēl dixit: « Benedictus sit Dominus qui *super sanctos suos prodigia agit! » Tum pater noster Baṣalota Mikā'ēl ei dixit: « Panem tuum, quem tibi Domini iudicium dedit, accipe! » Et cum pater noster Baṣalota Mikā'ēl ei benedixisset, statim sportula pro more aperta est. Qui viderunt Dominum laudaverunt.

Olim, rex militibus suis dixit: « Qua de causa monachos coenobia monasteriaque incolentes in me insolescere putatis, nonne propter fluentes amnes aquarumque scaturigines, quae cum per eorum arva decurrunt, eis plantas irrigant, olera seminant, caepas alliaque aspergunt, inde, saturitate pleni, ut mecum contendant veniunt? » Et rudes milites, qui operam ei in sanctorum persecutionibus dabant, venire ut *patrem nostrum* advocarent iussit. Militibus haec imperavit: « Ite, sanctos cum Baṣalota Mikā'ēl, imperii mei perturbatore, in exilium pellite, et in aridam terram, aqua iter unius diei destitutam, deducite! ». Tum sanctos illos in remotam terram

expulerunt. Cum ad fluentem amnem pervenissent, qui regionis naturam sciebant eis dixerunt: « Aquam ab hoc flumine haurite; aliam enim postea non invenietis; si enim *e vestro loco* mane prima luce proficiscemini huc ad horam sextam pervenietis; sexta autem hora si proficiscemini, ad occasum solis *tantum* pervenietis ». Sancti aquam ex illo flumine hauserunt et quo deducti sunt biberunt.

Mane, diluculo, inter se collocuti sunt: « Agite; ad flumen eamus, ne reditus noster in nocturnis tenebris fiat! ». Atque eis dixit pater noster Baṣalota Mikā'ēl: « Constantes estote, o filii mei, et corda vestra firmate; nam virtutem Domini videbitis ». Media mane, pater noster Baṣalota Mika'el, ad rupem aestu solis pedes exurentem - torrida enim regio erat - progressus, super eam, trium horarum tempore, oravit. Cum oraret, rupes contremuit; ex illa *quasi tabula magna avulsa est, et p. 45. aqua copiosa effluxit; ante aquam pisces multi effluxerunt. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl regios milites appellari iussit; eisque, cum advenissent, pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit: « Dominus vester, propter aquam infensus, ne id quod hyaena bibit biberemus nos huc traxit, et Dominus, victui nostro consulens, nobis cenam, piscibus non inspectione fluminis captatis sed ex aqua quae ob eius miraculi gratiam e rupe scaturiit egressis, paravit. Quid dominus vester cogitabit? Quo nos in exilium mittet, et eo Dominus non perveniet? Quo nos abducet, et eo Dei potestas non erit? Nam scriptum est[1]: ' Eius potestas in universa terra est '. Rursum Scriptura ait[2]: ' Quo ibo a tuo spiritu et quo e tuo conspectu aufugiam? Si ad caelum ascendero, et ibi tu es; in profunda si descendero, ibi tu es; alas ut aquila si sumpsero, et ad extrema maris volavero, huc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua ». Regis milites, cum profecti essent, omnia miracula quae viderant patris nostri Baṣalota Mikā'ēl precum virtute patrata regi rettulerunt. His auditis, rex timuit, et *monachos* dimitti et quo vellent abire iussit.

Paucos dies sancti, in prodigiorum suorum *terra* (?) commorati sunt. Inde, Satanas cor regis in tentationem, ut sanctos iniuriis afficeret, induxit. Rex populis suis universis manda-

[1] *Psalm.* CIV, 7. — [2] *Psalm.* CXXXVIII, 7-10.

vit: « Sanctos qui in omnibus imperii mei civitatibus sunt adducite! ». Sanctos adduxerunt. Za 'Amanu'el cum filiis suis et cum patre nostro Baṣalota Mikā'el venit. Tum rex dixit eis: « Mecum in eucharistia precibusque participate: vobis mecum consentientibus, montes ad condenda coenobia dabo, et montium *incolae coenobiis* tributa solvent; praeterea, quantum necesse sanctuario vestro et ecclesiae vestrae erit, aurum argentumque pretiosissimasque vestes et sericas telas pro altaris vestri tegu-
p. 46. mento vestrorumque sacerdotum indumentis, nec non boves *ad agros colendos et vaccas ad lac bibendum dabo. Si autem mecum consentire renuitis, patriarcha mihi ut vos ad eum mittam mandavit; ibitis in terram Aegypti, in fame et siti, atque in itinere latrones sicarii occurrunt ». Za 'Amanu'él filii dixerunt: « Tecum quidem nos participabimus; voluntatem tuam, quemadmodum nobis imperavisti, o rex, faciemus! ». Rex eis aurum, argentum, vestes, boves tradidit; quibus acceptis, unusquisque domum rediit. Za 'Amānu'él autem, pater eorum, haec recusavit, et solus in exilium pulsus est. *Rex* magistratus magnos principesque ad patrem nostrum Baṣalota Mikā'el misit, dicens: « Mecum participa, quaeso! si nolueris, ad patriarcham abeas! » Pater noster Baṣalota Mikā'él dixit: « Haec domino tuo refer: Sane, Hierosolymitanum iter ingrediar, metum mihi non incutis! » Regis legatus sanctis respondit: « Haec vobis rex dicit: Fame et siti, ad Hierosolymam peregrinantes, non moriemini, quia in itinere sunt homines sicarii, christianos ad apostasiam inducentes, et latrones qui Christum non cognoscunt. Si autem mecum consentieritis, aurum argentumque, boves bonaque omnia vobis dabo ». Et sancti legato responderunt: « Aurum tuum argentumque bonaque omnia tibi in perditionem sint! [1] ». His dictis, magistrum secuti sunt, et regis copiae animum patris nostri Baṣalota Mikā'ēl eiusque discipulorum mirati sunt. At pater noster Baṣalota Mikā'ēl profectus est, psalmum cum recitaret et diceret [2]: « Dominus me illuminabit et servabit; quid timebo? Dominus est protector vitae meae: quid trepidabo? et hunc psalmum usque ad finem recitavit. Ad locum, quo pernoctaret, pervenit, et ibi cum filiis suis noctem egit. Regis copiae, magistratus, principes et omnes regis militum praefecti

[1] Cfr. *Act.*, VIII, 20. — [2] *Psalm.* XXVI, 1.

ad eum illic convenerunt et Domini virum interrogaverunt: cum eis loquendo noctem totam egit, et dixit: « *Bonorum vestrorum p. 47. direptionem, pedum manuumque catenas, dorsorum flagellationes et corporis percussionem metuere nolite! Rursum, si vos interficient, metuere nolite; corpora enim vestra hic relinquentur, sed anima coram Domino interfectores vestros accusabit, neque mortis potestas in vos dominabitur ». His dictis, cum discipulis profectus est: regis copiae eum propellebant. Et in regionem ethnicorum (a r a m i), apud sicarios qui Dominum non cognoscunt, deduxerunt.

Deinde, eum in terram Tegrāy traxerunt et ad praefectum deduxerunt. Praefectus eum in loco, cui nomen est Gar'altā, collocavit; ceteros discipulos in terra Ṣera et Gabt (?) posuerunt. Sancti in ieiuniis, in precibus et magna in abstinentia ibi steterunt. Pater noster Baṣalota Mikā'ēl ieiunia ieiuniis, prostrationes prostrationibus, labores laboribus, vigilantiam vigilantiae addebat. Tum, regis legatus ad praefectum venit et dixit: « Baṣalota Mikā'ēl adducite, ut ei regis nuncium referamus ». Et patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl adduxerunt. Regis legatus dixit: « Rex tibi mandat: 'Salve! Hoc aurum argentumque accipe, quaeso ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl regis legato coram praefecto respondit: « Ad quid aurum argentumque accipiam? Nonne propter hoc antea in exilium pulsus sum? Mihi enim monacho in paupertate mea manere melius est ». Regis legatus patri nostro Baṣalota Mikā'ēl dixit: « Si bona accipere renuis, ad urbem Hierosolymam abeas: haec tibi rex mandat ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl respondit ei: « Sane, proficiscar, secundum iussa vestra, quemadmodum mihi dixistis. Pulverem vestrum, qui mihi adhaeret, in vos excutiam, et coram vobis vestes, quae super corpus meum sunt, dorsi mei pallium, capitis mei cucullum proiiciam. Cur de nuditate mea erubescam? Num ego Domino et Deo meo melior sum? Ille, vero, nudus coram crucifixorum concilio stetit ». His dictis, siluit. Regis legatus patri nostro *Baṣalota Mikā'ēl: « Ad sedem p. 48. tuam recede », inquit. Cum profectus esset, legatus omnia regi rettulit.

Quadraginta dierum ieiunio absoluto, pater noster Baṣalota Mikā'ēl regis ianuam cum filiis suis petiit, et secum principem, qui ipsos deducebat, habebant. Rex ad patrem nostrum Ba-

ṣalota Mikā'ēl misit qui diceret: « Si ingressus fueris (?), vereor ne me corripias sicut antea corripuisti. Verumtamen te deprecor, pater, ut mecum consentias. Si nolis, Hierosolymam proficiscere! ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl respondit: « Ego vero neque tecum consentiam neque Hierosolymam proficiscar. Si vis me Hierosolymam proficisci, ut patriarchae nuncium adducam, una ambos, me et hunc *legatum*, catenis vinci, et illuc mitte ». Rex autem dixit: « Nec te neque illum vinciam; tu autem pedibus tuis proficiscere ». Et pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit: « Ex hac tua ianua non recedam. Ultimi supplicii, vel hastis vel gladio, a te damnari volo; nam mihi melius est mori quam sine fructibus manere: tu enim ieiunantis vana ieiunia reddidisti, adorantis adorationem prohibuisti, et coenobia monasteriaque sub imperio tuo clausa sunt ». Et rex ad eum misit qui diceret: « Domum revertere, pater, ne frigore et pruina moriaris ». Eius filii sancti eum obsecrati sunt: « Domum revertamur, pater, ne frigoris pruinaeque afflictionibus consumamur ». Eis respondit pater noster Baṣalota Mikā'ēl: « Fiat voluntas vestra ». Cum eis domum rediit. Princeps ei cenam attulit; pater noster Baṣalota Mikā'ēl recusavit. Princeps autem: « Quid egi, inquit, o pater? ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl dixit ei: « Tu quidem nihil egisti; attamen, ne rex tuarum rerum causa se iactet *recuso* ». Princeps eum iterum obsecratus est: recusavit. Princeps regem adivit et *omnia* ei rettulit. Rex ad patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl misit qui diceret: « Vobis triticum, quod nutrimentum vestrum pro
p. 49. vestra ratione sit tradent ». *Respondit ei Baṣalota Mikā'ēl: « Triticum tuum nolumus, nam fame mori quam triticum tuum edere nobis melius est ». His auditis, rex ira exarsit; quemcumque sive marem sive feminam ad illos accedere, ne eis cibos darent, vetuit, et dixit: « Molestia et fame urgentibus, e manibus meis cibum accipient ». Illi vero monachi ne ab eius manibus nutrimentum acciperent sibi proposuerunt. Regis milites monachum quendam olera suis nummis empta ferentem cum invenissent, ipsum traxerunt et ad regem duxerunt: *rex* eum flagello verberari iussit. Monachus cum verberaretur mortuus est. Rursum, rex patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl ad terram Gelo Mākādā in exilium mitti iussit. At dixit ei pater noster Baṣalota Mikā'ēl: « Hinc non recedam! ». Rex

eum cum filiis vi deprehendi iussit: vi deprehenderunt, et ille quidem in Domini pace cum filiis suis profectus est.

Olim, cum iter faceret; omnibus filiis praeivit. Cum filii *ad cum* pervenissent, eis dixit: « Quid vero *oneris* super vos est? ». Ei filii responderunt: « Paucum farinae, quae infirmorum cena fiat ». Pater noster Basalota Mikā'ēl dixit eis: « Num vos de infirmorum nutrimento potius quam de patre vestro caelesti sollicitos esse melius putatis? ». Oneribus quae super eorum humeros erant susceptis, omnia in terram proiecit, neque farinam pro cena neque viaticum pro itinere neque pateram in qua ederent vel poculum in quo biberent eis reliquit: nihil ex universa eorum supellectile, praeter baculum in eorum manibus et ferream palam qua eorum mortuos sepelirent, reservavit [1]. Tum eos praeire iussit: id fecit ne quae proiecerat susciperent.

Hunc Domini virum miramini, qui animam suam Domino tradidit, et Dominus eius animam, ut turis suffimentum, grate excepit. Animam ieiuniis, abstinentia, statione, genuflectionibus, martyrio verberibusque cruciavit. In sanctuario, angelorum instar vigilabat; ante officium et ministerium nocturnum se prosternebat adeo ut sudor efflueret quasi aquarum fons; tum, e sanctuario egressus, *culinam petebat, carbonem ex ignis p. 50. acerra colligebat, in turibulum immittebat, et, altare circumerrans, ture suffiebat, turis preces ore suo recitabat, et ambitum altaris lacrimis madefaciebat. Turis precibus recitationem psalmi CXVIII [2] addebat, dicens: « Alef. Beati qui immaculati [3] » usque ad finem. Rursus se prosternebat, ut antea, atque, ut antea, ture suffiebat, flendo et suppliciter orando. Haec duodecies faciebat. Tum sanctorum cubilia petebat, et eis dicebat: « Crepitaculum pulsate, ut ad nocturnum officium celebrandum conveniant »: ipse vero cellulam suam introibat, et, sicut telonarius clamans, magna vi pectus percutiens, et flens sicut meretrix quae Christi pedes lacrimis lavavit, noctem agebat. Cotidie mane amore Christi cor suum incendebat, quod numquam defervescebat; cotidie vires intendebat ut angusta *via* ad sanctorum spiritale certamen procederet ieiuniis cum abstinentia, statione cum prostrationibus, martyrio cum verberationibus,

[1] Cfr. supra pag. 23, l. 18-20. — [2] Ms. CVIII. — [3] *Psalm.*, CXVIII, 1.

cum apostolus propter praedicationem et propheta propter arcanorum visionem esset. Discipulis futura, quasi accidissent, referrebat, peccata ab ipsis commissa exponebat, et dicebat: « Tu haec fecisti, hunc ad modum paenitentiam age, hunc ad modum ieiunium exple ». Illi vero *sanctum* verebantur; et eum secum esse etiam cum non aderat, et se ipsos quasi ab eo videri putabant.

Nunc vero ad historiam redeamus, ut quomodo eum ad terram Gelo Mākādā [1] deduxerunt referramus. Cum *illuc* pervenissent, laetitia et gaudio eum exceperunt sancti: quorum nomina sunt Marqos, Krestos Amna, abbā Sinodā et Māmmās. Eum cum adspexissent, gavisi sunt valde. Māmmās ei dixit: « Ego tibi rupis speluncam, in qua cellulam tuam facies, ostendam ». Pater noster Baṣalota Mika'ēl dixit ei: « Age: me duc! ». Ille rupem ei monstravit. Pater noster Baṣalota Mika'ēl, rupis spelunca adspecta, gavisus est. At discipuli eam gratam
p. 51. non habuerunt, et *patri nostro dixerunt: « Hunc locum relinque, nam pessimus est et asperrimus; alium tibi locum oculis iucundum quaeramus ». Pater noster Baṣalota Mika'ēl dixit eis: « Hic erit aeternae quietis meae locus: hic manebo, nam hunc *locum* elegi [2] ». Rupem fodere coepit: discipuli, cum in suis cordibus contristati essent, cum eo foderunt.

Quarta feria, ad sanctos Mārqos, Krestos Amna et abbā Sinodā misit dicens: « Feria secunda, mane, cum filiis vestris, ad fodiendum sepulchrum meum, accedite! ». Die sabbati, mane, ad regionem inspiciendam, cum filio suo Enbāqom exiit: et recens sepulchrum, e quo cadaver eminebat, invenerunt. Dixit ei 'Enbāqom: « Pater, nonne tibi putridum est? ». Pater noster Baṣalota Mikā'ēl respondit ei: « Nonne tu postridie hunc ad modum in sepulchrum patrem tuum dimittes? ». At filius eius 'Enbāqom dixit: « Ne pro sepulchro quidem tibi apti sumus, pater? [3] ». His dictis, domum reversi sunt. Mane, die dominica, filios librorum Nabyud et Ephremi lectione hortatus est: cum hortaretur, flebat et clamabat. Cum nox advenisset, usque ad dimidiam noctem *et* galli cantum assidue oravit. Tum disci-

[1] *Sic* ms.; sed supra Gelo Mākidā scriptum est. Hodie vero *g'ēlō mākadà* dicitur. — [2] Cfr. *Psalm.*, CXXXI, 11. — [3] I. e., ni fallor, « ne tuum quidem sepulchrum bene disponere et te convenienter sepelire valemus? ».

pulo, cui erat nomen Abēl, dixit: « Accede, ad speluncam descendamus ». Baculo suscepto, egressus est, speluncam introivit et pro more oravit. Inde discipulo dixit: « Age; fratres tuos appella ». Post haec, faciem signo crucis signavit, et quattuor loci latera signavit; dein, manus pedesque protendit et animam manibus Creatoris sui tradidit. Sine dolore mortuus est, ut ait David[1]: « Iusti mors in conspectu Domini honorata ». Eius spiritus purissimus e purissima carne egressus est, et ad iustitiae iudicem migravit, ut martyrii diadema propter verberationes, diadema puritatis propter virginitatem et diadema sacerdotii *propter suavissimum suae doctrinae p. 47. odorem susciperet; huius spei gaudio delectabatur; nihil enim e sanctorum certaminibus ei defuerat.

Redeamus ad initium historiae mortis eius. Eius filii, cum advenissent, ipsum mortuum invenerunt. In terram ceciderunt et clamaverunt dicentes: « O pater, o pater, nobilissima gemma, cur nos in solitudine relinquis? Pater, pater, aurum mundum, argentum purissimum, cur te in foetidam speluncam abdidisti? O pater, pater, angele in terra, quis os tuum freno cohibuit? quis labiorum tuorum laudes cessare fecit? Pater, pater, propheta, quis deinceps peccata a nobis clam patrata nobis indicabit et nos reprehendet, ut ad bonam frugem revertamur? Pater, pater, *quis erit*[2] apostolus *et* inde ab hoc tempore in regum foro praedicabit et ecclesiae protector erit? Pater, pater, martyr Christi, quis inde ab hoc tempore de praeceptorum observantia sollicitus erit et propter *Domini* leges et constitutiones cruciatus patietur? Pater, pater, monachorum pater, quis solitarios docebit et eremitas visitabit? Pater, pater, fidei columna, quis ecclesiam sustinebit, ne eius muri evertantur fornixque diruetur? Pater, pastor, quis oves tuas in prophetarum aedibus ad pascua deducet et in apostolorum septa introducet? Pater, pater, lampadis basis, quis ab hoc tempore in Aethiopiae finibus illucescet? Pater, pater, pure ut lac! Pater, pater, suavissime ut mel! Pater suavibus odoribus perfuse ut unguentum vestium Petri! Pater, pater, benedictione plene, ut ros *montis* Hermon qui descendit in montes Sion![3] Pater,

[1] *Psalm.* CXVIII, 18. — [2] Haec corrupta videtur. Leges: « Pater, pater, apostole, quis inde ab hoc tempore » etc. — [3] *Psalm.* CXXXII, 2.

pater iucundissime, cuius verba plus quam vinum laetificant! Pater, pater, magister qui secundum dicta sacrorum Librorum navabat [1], revelator arcanorum Pentateuchi et Prophetarum! ». Lamentationibus absolutis, eius filii cum quattuor iustis sanctisque viris in rupis spelunca, quam ipse foderat ut sibi cellula esset, eum sepeliverunt. Rupem illam beatam celebremus, quae similis fuit duplici speluncae in agris Ephron Hethaei [2], in qua Abraham, Isaac et Iacob sepulti sunt. Rursus, similis fuit
f. 53. rupi Horeb, in *qua, per rupis foramen, splendentes Dei nimbi apparuerunt [3]. Rursus, similis fuit rupi quam Ieremias fidit et in qua Templi res deposuit [4], cui quasi ferri tegumentum fuit. Rursus, similis fuit rupi in finibus Aegypti *sitae*, in qua quasi in argilla Domini palma delineata est: *ecce*, eius manus vestigium adhuc est.

Redeamus autem, ut enarremus quomodo sancti in loco illo, in dolore et in fletu, manserunt; peregrini enim erant neque regionis mores cognoscebant. Incolae vero pessimi sunt, neque in eorum cordibus est clementia Dei. Multos post annos, discipuli clam *sancti* ossa in alium locum transferre voluerunt. Eius ossa, quae aruerant, cum effodissent, eorum magnitudo nimia fuit, neque ea in arcam immittere potuerunt. *Tum quidam monachus* ausus est et tibias, ut genua complicaret, accepit; at sanguis magna copia, quasi e vivo homine, effluxit. Sancti quod sanguinis e consumpto osso efflueret mirati sunt et in hominem illum irati sunt, quod Christi martyris genuum ossa complicare ausus erat. Mirabile est Domini opus in sanctis eius! Post mortem, eorum gratia plus quam in vita augetur. Verum est quod David ait [5]: « Multae sunt tribulationes iustorum. Dominus ipsos ab omnibus liberat. Dominus eorum ossa servat, et nullus ex eis comminuetur ».

Inde martyris ossa in alium locum transtulerunt et deposuerunt, usque ad adventum abbā Yā'qob, magni metropolitae Aethiopiae. Hic patris nostri Baṣalota Mikā'ēl ossa adferri iussit. Ossibus adlatis, *metropolita* laetatus est valde, et sicut puer matrem respiciens exsiliit: super illa missam, martyrum ossibus
f. 54. idoneam, celebravit et sanctificatus est [6] per *singula martyris

[1] *Sic* ms. — [2] *Gen.*, XXV, 11. — [3] *Ex.*, XIX, 18. — [4] II MACH., II. 5. — [5] *Psalm.* XXXV, 20-21. — [6] Textus corruptus est.

femura, cum liturgiae preces recitaret et unguento olei eorum signaret. Tum eius discipulis benedixit, et: « Ubicumque, ait, haec ossa erunt, nec pestis nec tritici caritas neque imbrium penuria supervenient ». His dictis, benedixit, profectus est et in regionem suam rediit. Ex illo tempore, nihil *mali* loco ubi patris nostri Baṣalota Mikā'ēl ossa servantur supervenit: nec pestis, neque tritici caritas, neque imbrium penuria; gratia enim Domini quocumque sancti corpus transferebant vel deponebant ipsum sequebatur, quia divinitatis virtus illum circumdat, ut Liber ait [1]: « Iusti precibus civitas servatur et non delebitur ». Revera haec civitas salutem invenit, margaritam honore dignam, cuius pretium magnum et mirandum est. Abbā Yā'qob ossa in arcam mitti et pulvere in terra non tegi iussit.

Patris nostri Baṣalota Mikā'ēl mortis commemoratio fit die XXI mensis apif seu ḥamlē secundum supputationem Aegypti et Aethiopiae: secundum Romanorum supputationem, die XXV mensis ēyulus (*iulii*), secundum Hebraeorum supputationem, in mense tamuz, Romanorum Hebraeorumque calendis concordantibus. Dies est feria secunda post galli cantum. Nos vero celebremus commemorationem talis prophetae, sicut prophetarum; talis apostoli, sicut apostolorum; talis martyris, sicut martyrum; talis magistri bellatoris sicut iustorum sanctorumque commemorationem; nam quaecumque sancti universi egerunt apud eum inveniuntur: sicut *apud* prophetas, prophetia: sicut *apud* apostolos, praedicatio: sicut *apud* martyres, constantia: sicut *apud* sanctos, spiritale certamen; sicut *apud* virgines, puritas; sicut *apud* sacerdotes, ministerium in puritate: sicut *apud* eremitas, anachoretica vita; sicut *apud* solitarios in cella clausos, vita solitaria; nihil de sanctorum certaminibus et fide defuit ei.

O civitas Saglā, quomodo hanc gemmam, cuius pulchritudo septies sole est fulgentior, invenisti? *Ille* sui Domini ore laudatus est, cum **Dominus* diceret: « Serve mi, fidelis mi, cum Petro et Paulo sedes tua fiat ». Hic honor, haec divitiae a Domino commissa sunt. Ubinam vero sunt sedes Petri et Pauli? Cum de his cogitem, opinor audiens quae *Dominus* eis dixit in evangelio [2]: « Cum Petrus Dominum interrogaret dicens: Nos

p. 55.

[1] *Prov.*, XI, 11. — [2] MATTH., XIX, 26-27.

vero omnia reliquimus, et te secuti sumus; quid ergo inveniemus? Dominus noster eis respondit: In veritate dicam vobis; vos, qui me secuti estis, alterius adventus mei tempore, cum sederit Filius hominis super gloriae suae thronum, sedebitis et vos super throna duodecim, et iudicabitis duodecim tribus Israël ». Illic etiam pater noster Baṣalota Mika'el erit, quemadmodum Domini vox ei dixit: « Cum Petro et Paulo sedes tua erit ». De retributione *fidelium* siscitantes *sancti* Domino dixerunt: « Qui nostram commemorationem fecerit, et in precibus nostris confisus erit, et librum certaminis nostri scripserit, quale erit eius praemium? ». *Dominus* dixit eis: « Vobiscum palam in novissima die transibit ». Hunc autem *sanctum Baṣalota Mikā'ēl* illis minorem non habuit, neque quoad sedem, neque quoad honorem, neque quoad praemium; sicut cum illis sedem ei dedit, ita et praemium *pro fidelibus* ei dabit; sicut illi accepti fuerunt, ita ipse *Domino* acceptus fuit; sicut illi mundum universum reliquerunt, ita ipse mundum et omnia quae in *mundo* sunt reliquit; sicut illi non susceperunt pro itinere viaticum, secundum Redemptoris nostri praeceptum, praeter baculum tantum, ita ipse nihil praeter baculum et manus signaculum [1] suscepit. Sicut eorum vestigia secutus est eorumque iter est aggressus, ita sedem invenit, neque eis in praemio minor factus est.

Oratio de facinoribus huius patris beati, patris nostri nobilissimi, honorati, apostolici, Baṣalota Mikā'ēl, et de laboribus huius hominis Dei ad finem non perveniet. Nos vero, o dilecti, si eorum vestigia sequi aut eorum labores sustinere non valemus, sanctorum commemorationem pro viribus nostris celebremus, in eorum
p. 56. precibus confisi, *quod iusti preces potentiam et potestatem habent: in ipsis enim magna est utilitas, ut in Evangelio scriptum est [2]: « Qui recipit prophetam in nomine prophetae, prophetae mercedem accipiet; et qui recipit iustum in nomine iusti, iusti mercedem inveniet; et quicumque potum dederit uni ex illis minimis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli mei, in veritate dico vobis, non perdet mercedem suam ». In veritate, qui iustorum et martyrum commemorationem fecerit non per-

[1] Textus corruptus vel mutilus est *mā'etaba ed* « manus signaculum »: *mā'etab* est caerulea resticula, quam Aethiopes christiani, ut suae religionis signum sit, collo appendunt. — [2] MATTH., X, 41-42.

det mercedem suam! Audite, fratres, quomodo pulcherrimus sit hominis Deum timentis finis! Eius mortis dies benedicitur; pretiosa in conspectu Domini mors iustorum est [1]. In veritate, pretiosa fuit mors huius patris nostri Baṣalota Mika'el, puritate induti, nautae cum remis crucis [2] (?) navigium suum regentis, quod mundi fluctus, cuius undae sunt multae, non submerserunt. Quo nomine eum appellabunt? Prophetam, aut apostolum, vel monachum? Haec omnia in homine Domini, in patre nostro Baṣalota Mikā'ēl inveniuntur. Fuit columna fidei, quae non subvertitur, et fundamentum non vacillans: vir potens [3], bellator, strenuus, in proeliis exsuperans. Quomodo loquar de magnitudine patris mei, legum magistri, qui revera purissimus fuit ut tus et laetificans ut vinum, quem ecclesiae ab eo ornatae laudibus celebrant? Pater honorate, quam pulcher est historiae tuae auditus! Melle et saccharo dulcior est, corda laetificat, aures ad audiendum flectit, ossa madefacit, et mentem quasi annotinum hydromel bibisset, volitare facit.

Gloria Patri [4], qui nobis hanc fulgentissimam stellam surgere fecit; adoratio Filio, qui eum in certamine firmavit ut eius liberatio nobis sit; gratia Spiritui Sancto, qui nobis eum, ut magister esset, largitus est. *Ipse vero* ab osoris vinculis liberator est, quem laus et glorificatio decent, qui mundum sollicitudinibus texit. Laus igitur Patri, qui nobis patrem nostrum Baṣalota Mikā'ēl, monachorum patrem, apostolorum sectatorem, in adflictationibus verberationibusque constantem, largitus est. Adoratio Filio, qui hunc beatum patrem nostrum firmum ad martyrium sustinendum reddidit. Gratiae et benedictio Spiritui Sancto, benedicto et laudato per *hominum angelorumque ora, p. 57.
a creatis universis, in terra et in caelis, in mari et in abyssis, qui hunc virum e venatoriis retibus [5] servavit ut arietum ovium-que pater esset. Hunc ad modum et nos qui hodie hic congregati sumus a lupis praedatoribus, sanctarum eius precum virtute, servet, et laetitiae et gaudii vocem audire faciat, ut pro viribus nostris *sancti* commemorationem et missae sacrificium

[1] *Psalm.* CXV, 15. — [2] An masqal pro mastal legendum? — [3] Haec sunt ad sim. titulorum qui antiquis regibus tribuebantur; cfr. Conti Rossini, *L'evangelo d'oro di Dabra Libânos* (exc. e *Rend. d. R. Acc. dei Lincei*, X), Romae, 1901, pag. 14. — [4] Haec usque ad pag. 50, v. 27, soluta oratione, arabice سجع dicta, scripta sunt. — [5] Cfr. *Psalm.* XC, 3.

hymnis et precibus, humilibus gratiis et prostrationibus, psalmis et canticis celebremus, sicut in Davidis libro dicitur: « Iusti memoria in aeternum erit [1]; memoria iusti cum laudibus [2] ».

O spiritalis Antoni, qui mysticum Agnum, sub speciem pueri ridentis tibi dexterum sinistrumque latus exhibentis diffidisti et filiis tuis praebuisti, tuae deprecationis doni hereditas eis assignata est, adeo ut *puerum illum* palam corporalibus oculis adspicerent; hunc ad modum nobis, benedictionem tuam exoptantibus, tuae deprecationis benedictio in hereditatem assignetur. Ubicumque tua commemoratio celebrabitur, et liber tui spiritalis certaminis legetur, benignitas et clementia sint. Quoniam pastorum benedictionem super discipulos commorari decet, nobis benedic, o pater, o sapientiarum mare, aquila volans, praedicatione sublimis, divinitatis virtute orator, in oceano Librorum natator.

O nove Paule, lingua loquens, tui spiritalis certaminis historiam audire cordi iucundissimum est. O stella, cui victoria data est! O pater, populi populorumque pater, monachorum concionator! Prostrationum tuarum numerus, qui est sicut *numerus* stillarum *pluviae*, corda stupefacit. Tuarum prostrationum locus profundus in modum foveae factus est. Tua miracula dictu difficilia sunt. Mundi mare amplissimum transfretasti, neque eius ampla retia te circumvenerunt.

O pater, retributionem pro nobis a Patris Filio obtineas quaesumus, cum electorum nuptiae parabuntur; cum quinque canes expellentur; cum lacrimarum cataractae eos vorabunt. Per angustam viam nos transire fac, ut tecum in amplam plateam ingrediamur.

p. 58. Cum patris nostri Baṣalota Mikā'ēl transitus immineret, *discipulum appellavit: « Accede, in speluncam eamus! ». Baculo suscepto, ingressus est speluncam eiusque quattuor lateribus benedixit; manus et pedes protendit et animam manibus sui Creatoris tradidit [3].

Explicit liber de spiritali certamine patris nostri perfecti Baṣalota Mikā'ēl. Eius mors fuit die XXI mensis ḫamlē. Laus Domino in sempiternum, per omnia saecula saeculorum. Amen, amen et amen. Sit! sit! sit!

---

[1] *Psalm.* CXI, 7. — [2] *Prov.*, X, 7. — [3] Haec, iam antea recitata (cfr. supra, pag. 45); fortasse, errore repetitá sunt.

Misereatur Dominus in caelorum regno omnium simul qui hunc librum scribere fecerint vel scripserint vel explicaverint vel legerint vel audiverint, et eos voces laetitiae gaudiique audire faciat, precibus Dominae nostrae, precum vasis. Precibus deprecationibusque patris nostri Baṣalota Mika'el, monachorum patris, misereatur nostri Christus, gloriae rex, in hoc saeculo nec non et in futuris. Super nos benignitas et misericordia usque ad extremum halitum sint. Cum *Dominus* Sabaoth in tota imperii maiestate adveniet; cum, manibus suis, opus precibus dabit; cum accinctus *electos* ad mensam procumbere faciet; cum laetitia erit iustis, cum canes foras, in ignis flumen et in tenebrarum abyssum, expellet; cum occulta coram Unico revelabuntur; cum terrae caelorumque virtutes commiscentur; cum fulmina coruscabunt et venti perturbabuntur; cum mare et abyssa confundentur; cum ab unoquoque suorum ratio poscetur; cum omnes onera sua adferent; in illa sancta die, cum duae vaccae pro mensa decem milia annorum mactabuntur, in monte Sion sanctae consistere nobis contingat! Per omnia saecula saeculorum. Amen, amen et amen.

---

*Hunc librum de spiritali certamine Baṣalota Mikā'ēl patris nostri, ego, Marqoryos, pro commemoratione mea et coniugis meae Masqal Kebrā et filiae meae, cui nomen est Mal'ak Absarā, dedi insulae Dāgā, tabernaculo *sancti* Stephani, quoniam in eius fide et mercede, nec non et in precibus sanctorum omnium patrum meorum, qui huc mortui sunt, spem posui. Eorum virtutis narrationem audire mihi margarita videtur. In eis e profundis cordis fido, eorum nomina mihi auditu nota invocans et quae non novi in sanctorum omnium invocatione complectens. Eis qui suis facinoribus grati Domino fuerunt, animam et corpus, coniugem et liberos, servos et ancillas committo, fide plenus quia audivi vocem Iacobi[1]: « Oratio iusti potest et servat et pollet ». Per omnia saecula saeculorum. Amen. Vos autem, presbyteri et diaconi et monachi, nolite oblivisci mei peccatoris et impii, miseri et inopis, in vita et in morte. Vestrum autem memores sint, ob Dei mei misericordiam, qui inopem non contemnit. Per omnia saecula saeculorum: amen et amen; fiat et fiat. Per Christi carnem et sanguinem fiat. Amen. f. 59.

Hunc librum si quis rapuerit, vel fraudaverit, vel abstulerit, sive archipresbyter sit, sive praefectus domus (eraq māsarā), sive diaconorum magister, sive antistes (nebura ed), sive quis alius, ore Patris et Filii et Spiritus Sancti maledictus et reprobatus et repulsus sit, per omnia saecula saeculorum. Amen et amen. Fiat et fiat.

[1] Cfr. Iac., v, 15.

II

GADLA ANORĒWOS

SEU

ACTA SANCTI HONORII

INTERPRETATUS EST

KAROLUS CONTI ROSSINI

Anorēwos in pago Mātgē provinciae Warab natus est. Puer, quodam Ḥarānkis magistro usus est. Monachalem vitam amplexus, sanctum Takla Hāymānot est secutus, qui eum gratissimum habuit. Diaconorum magister, inde communitatis oeconomus factus est. Takla Hāymānot mortuo, in Tigré migravit, et in monasterio Ṣa'ādā Ambā commoratus est. Ibi convenit cum Baṣalota Mikā'ēl, cui morienti Anorēwos ministrasse haec Acta tradunt. In regionem Scioa reversus, apud Filpos, sancti Takla Hāymānot successorem, mansit. Deinde, cum metropolita Yā'eqob duodecim celeberrimos monachos ad evangelium in regione Scioa praedicandum elegisset, Anorēwos provinciam Warab obtinuit. Multa ibi gessit: adversus ethnicam religionem felici successu dimicavit, Christi fidem evulgavit, discipulos multos — quorum Ferē Menāṭos maximus fuit — edocuit, et coenobium in Ṣegāgā seu Ṣegāǵā condidit. Iris adversus regem ʿAmda Ṣyon I incalescentibus quod novercam in matrimonium duxerat, Anorēwos ad regias aedes advolavit et regem aggressus est: verberibus acceptis, in exilium in provinciam Walaqā pulsus est, ibique usque ad regis mortem mansit; tum ad coenobium suum reverti licuit. Aliam communitatem in provincia Enār'et constituit. At vero, cum novus rex, sui patris mores imitatus, novercam sibi ma-

trimonio iunxisset, Anorēwos, Ṣegāgā coenobio manibus discipuli Fere Menāṭos commisso, regem palam incesti accusavit: postquam tormenta passus est, in exilium iterum cum discipulis est eiectus, primum in Ṣawan terram provinciae Dārā, inde in insulam lacus Zeway, denique in Gamāsqē terram regionis Dāmot. Postremo, regem incesti paenituit, et monachi in patriam reversi sunt. Post haec, Anorēwos multum pro christiana fide in occidentalibus terris regionis Scioa, in Dāmot, in Amhara laboravit, ecclesias condidit, ethnicas gentes ad veri numinis cultum revocavit, discipulos permultos genuit. Demum, anno 1374, die XXVII mensis septembris, e vita migravit.

Eius Acta anno 1478 a monacho, coenobii Ṣegāgā incola, scripta esse videntur. In uno tantum codice, nempe Collect. d'Abbadie n° 43, ad nos pervenerunt: is autem codex, ni fallor, saeculo XVII exeunte vel saeculo XVIII exaratus est ad fidem antiquioris codicis anno 1501 scripti.

Quae in Actis sancti Anorēwos de morte sancti Baṣalota Mikā'ēl inveniuntur, cum Actis sancti eiusdem nominis, in priori parte huius tomi editis, minime congruunt. Ceterum, multa quae in Actis sancti Baṣalota Mikā'ēl referuntur, praesertim de rebus gestis regnante ʿAmda Ṣyon, etiam in Actis sancti Anorēwos, interdum iisdem fere verbis, occurrunt.

Chronicon breve regum Aethiopiae hunc Anorēwos de Ṣegāgā inter concitatores seditionis contra regem ʿAmda Ṣyon primario loco profert. Acta sancti nostri, sicut et Acta sancti Baṣalota Mikā'ēl propter antiquitatem plurimi facienda videntur, atque historiae saeculi XIV ineuntis haud parum luminis afferunt.

Acta ista nunc prima vice publici iuris facimus.

Romae, pridie Idus Oct. MCMV.

*In nomine Domini trini, cuius existentiae initium non co- p. 65.
gnoscitur, et cuius regni dies respici non possunt. In unitate trinus, unus in trinitate, magnus est Deus magnisque laudibus dives: in excelsis sedet et quae subter sunt videt; ut propheta in sua prophetia ait: « In universis terris est eius potestas, namque misereator ille [1], nec omnibus poenis *iram* accendit » [2]. Est caput et finis; ipsi autem nec initium nec consummatio est; iustos sua virtute tuetur et peccatores sua benignitate iustos reddit. Cum mundus ad pristinum statum redibit, ille super gloriae thronum in verenda sua magnificentia apparebit, eius clementia occurret, eius misericordia adveniet, eius iustitia stabit, eius fides pullulabit, eius opera sequentur et eius retributio revelabitur. Huic Deo laus in sempiternum. Amen.

Audite, patres mei et mei fratres dilectissimi, bucinae sonitu convocati et vitis palmite tracti [3]; vobis pauca de patris nostri, r a b b ā n, spiritalis certaminis praestantia enarrabo. Quis ex deis similis fuit Deo nostro? in sempiternum erit, ante mundum erat, omnia ad voluntatem suam agit; ipsi nemo « pulchre fecisti » aut « male egisti » dicere potest. Nunc vero eum suppliciter orate ut patris nostri Anorēwos vitam scribam: scientiam loquendique facultatem mihi clementer praebeat: sicut in mille generationibus vocem suam mandavit [4], sicut Balaami asinum humano eloquio loqui fecit, ita me peccatorem loqui faciat, ut de patris nostri beati spiritali certamine exponam et referam; ori meo custodiam et linguae meae ianuam, quae temperantia est, constituat, ne mendacia iniuste scribam, nam in iustorum historiis decrementum additamento melius est.

Cui patrem nostrum Anorēwos, sacrorum Librorum haustrum, Evangelii et Pentateuchi interpretem, prophetarum apostolorumque sectatorem, comparabimus? Iustus fuit et martyr! Cui patrem nostrum laetitia plenum, bellatorem constantissimum, prudentissimum integerrimumque, magnam Paradisi arborem *multarum avium umbraculum, comparabimus? Cui pa- p. 66.

[1] Cfr. *Psalm.* LXII, 11-12 etc. — [2] Cfr. *Psalm.* LXXVII, 38. — [3] Cfr. IOH., XV, 5. — [4] *Psalm.* CVI, 8.

trem nostrum Anorewos, fidei columnam, comparabimus? nonne candido tauro boum genitori, ante omnes sabbato egredienti, quem vitulae sequuntur? Cui patrem nostrum, nuptiarum filium [1], comparabimus? nonne rubro iuvenco e iuvencorum caula egresso et cornibus percusso a nigro iuvenco; aut iuvenco, qui homo factus est? Cui patrem nostrum sapientissimum comparabimus? nonne albo iuvenco sub arborem considenti, aut iuvenco post onagrum genito? Cui patrem nostrum apostolicum comparabimus? nonne ovi genitae post suem, qui oves in medio fluminum Syriae genuit? Cui patrem nostrum, margaritam, comparabimus? nonne hirco magno in pascuis capellas custodienti, hyaenasque in stagnis aquae submergenti, aut hirco alteri, qui solem imperio tenuit, donec moenia magna collapsa sunt? Cui patrem nostrum honoratum comparabimus? nonne Davidi honorato, a Domino electo, aut Samueli memoria egregio? Cui patrem nostrum sanctum comparabimus? nonne Salomoni regi, qui sanctuarium condere studuit, aut Hiram Tyrio? Cui patrem nostrum iustum comparabimus? nonne Zachariae, aetate provecto, aut Iohanni Baptistae? Cui patrem nostrum Anorēwos, ut Eliam zelotypum, ut Petrum fidei petram, ut Paulum eloquio suavissimum, comparabimus? Cui patrem nostrum, omnino ovium pastorem a suo Domino electum, comparabimus? nonne apostolis, qui fideles e vicis appellaverunt ut evangelii verba in eorum cordibus seminarent, aut magistris, qui fidem definiverunt Ariumque ut excomunicarent congregati sunt? Cui patrem nostrum, multorum patrem, comparabimus? nonne ecclesiae doctoribus, qui Verbi veri rectum iter exposuerunt et iuvenes vulpes ne vinearum septa vastarent expulerunt? Cui patrem nostrum, nominis substantiam, comparabimus? nonne Bethlehemi pueris, qui Herodis maledicti temporibus interfecti sunt, ita ut humus sanguinis causa erubesceret, dum matres, viribus destitutae propter lacrimarum effusionem et aegritudinem, flebant? aut Akmin confessoribus, qui hunc mundum admiratione repleverunt? Cui patrem nostrum, ecclesiae ornamentum, comparabimus? nonne Antio-
p. 67. chiae confessoribus, aut cunctis **urbis* Kēnyā confessoribus, qui, dum alleluia laudes canebant, ovium instar mactati sunt? Cui

[1] Marc., II, 19.

patrem nostrum, sacrificatorem, comparabimus? nonne iustis qui Domino asperrimis afflictionibus, siti et fame, ieiuniis, precibus lacrimisque grati fuerunt? Cui patrem nostrum, ovibus sal edendum dantem, comparabimus? nonne virginibus carne non pollutis? Eum dum comparamus, sanctos invocemus; cor nostrum, eius mentionem audiendo, laetatur. Nolite, o stulti, diffidenter dicere: « Anorēwos antiquis patribus num maior est? vel Anorēwos prophetis apostolisque, vel iustis confessoribusque eximior est? ». Eum nos supra illos magni aestimare et exaltare putare nolite; sed eum quidem ut decet comparamus. Adspicite ergo: iustus super omnia magni aestimatur, eiusque memoria in aeternum erit [1]. Cur nobis longus sermo? pauca intelligenti satis sunt. Anorēwos benedictio super nos duplo augeatur, secundum quod constitutum et bene dispositum est; patris benedictio filios decet. Rursum, *Anorēwos* nobis perfecte pacem praebeat, et pater sit et mater in hoc mundo primum et in venturo postea, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Nunc vero surgite, o psaltes; venite, o prudentes. Inopiae diebus, si bos pinguis invenitur, magnum eius pretium est. Audite quomodo pater noster Anorēwos ortus sit. Eius pater, sacerdos, abbā Salāmā nomen habuit; eius vero mater Krestos Zamadā fuit. Nobiles ortu, e praefectorum genere, in regione Mugar cui nomen est Matgē, Dominum timentes fuerunt, in iustis nuptiis, sicut Abraham et Sara; et tunc steterunt, ieiuniis precibusque addicti. Ex eis fulgentissima gloriae stella orta est, cui nomen Nārdos indiderunt. *Puerum* sapientia nutriverunt. Adolevit, ad discretionis aetatem pervenit, et Davidis psalmos sacrorumque Librorum lectionem et explicationem didicit; diaconalem dignitatem, sicut Stephanus diaconus, assecutus est et pulcherrime ministravit. Quicumque eum videbant, diligebant. Ad ecclesiam, orandi causa, proficiscebatur; atque a pueritia Dominum timuit, *ut David in psalmo ait [2]: « Beatus vir qui Dominum timet et eius praecepta observat valde ». p. 68.

Cum in patris suis aedibus habitaret, vir, cui erat nomen Ḥarānkis, Scriptura et Yārēd hymnis doctissimus, advenit, in eius patris aedibus consedit, et ibi mansit; pater noster Anorēwos ab eo humilitate et constantia, perspicacia et intelligentia,

[1] Cfr. *Psalm.* CXI, 7. — [2] *Psalm.* CXII, 1.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
TORONTO
LIBRARY

assidue deprecando nec cantum intermittendo. Yarēd hymnos didicit. Cum haec faceret, ob sacrorum Librorum lectionem et psalmorum cantum gloriatus non est, sed in humilitate discere perrexit. Ieiunia precesque dilexit et sibi puritatem continentiamque comparavit, sicut Dominus noster in evangelio ait [1]: « Cum continentia vosmetipsos possidebitis ». Dicit iterum [2]: « Qui animam suam propter me reliquerit ipsam inveniet ». Eorum omnium memor, a pueritia semetipsum iustitiae causa neglexit. Rursum, pater noster Anorēwos, iustus, mundum transitorium, divitias perituras et ad nihilum reducendas, aurum argentumque rubigine corrodenda consideravit, et monasticam vitam, ut in tranquillitate commoraretur, elegit, cum Siracidis sapientiam perspicue intelligeret, quae dicit [3]: « Anima Deum timens vivet, omnesque in eum sperantes redimentur: Dei timentem nemo terrebit nec perturbabit; nam ipse eius spes est. Anima quae Deum timet beata est, nam eius fidelis in eum confitebitur et Domini oculi super illos qui eum timent sunt ».

Eius pater et mater eum monasticam vitam exoptare nesciebant et ei mulierem, pro lege, despondere cogitaverunt. His cognitis, sanctus cum patre suo suaque matre consilium non iniit; clam surrectus, profectus est, et ad patrem nostrum Takla Hāymānot, qui cum discipulis monachis in rupibus commorabatur, venit. Eum cum adspexisset, pater noster Takla Hāymānot, quasi magnam praedam invenerit, laetatus est, surrexit, *puerum* osculatus est et ei dixit: « Pax tibi, o habitaculum Sancti Spiritus! ». Pater autem noster, benedictione accepta, cum eo submisse et humiliter collocutus est, et dixit ei: « O pater, ad te veni, postquam de tuis gestis audivi, ut monachalem sanctorum vestem mihi tradas ». Pater noster Takla Hāy-
p. 69. mānot ei respondit: « Fiat voluntas *Domini, o fili mi: paucos dies expecta et mane, ut sanctorum opera adspicias, tum monachalem vestem dabo ». Patris nostri Takla Hāymānot sententiam cum audivisset, sanctus cum eo, magnis sacris exercitationibus, ieiuniis precibusque addictus, sicuti monachos facere videbat, commoratus est. Paucis diebus elapsis, pater noster Takla Hāymānot patrem nostrum Anorēwos monachali veste, veste puritatis et veste sanctitatis, induit et cinxit, atque

[1] Luc., xxi, 19. — [2] Matth., x, 39. — [3] *Eccl.*, xxxiv, 14-20.

ei Anorēwos nomen imposuit. Ibi in magno spirital! certamine, in puritate et in virginitate, in ieiuniis et in precibus magnaque in continentia stetit; et sancto *Takla Hāymānot* in omnibus agendi rationibus gratus fuit.

Eius continentiam virtutisque pulchritudinem cum adspexisset, pater noster Takla Hāymānot eum valde dilexit, et omnes sancti propter eius egregia opera dilexerunt. Ut ait Salomon [1]: « Innocentis iustitia eius iter in veritate dirigit », patris nostri Anorēwos itinera ad parva et ad magna recta fuerunt. Propter pulcherrimam eius virtutem *sancti* eum praetulerunt ut in diaconorum magistrum in ipso coenobio patris nostri Takla Hāymānot eligeretur; et ibi, sicut Stephanum diaconorum magistrum, elegerunt. Praestantissimus fuit in legibus constitutionibusque, et lubenter festinans tempore eucharistiae et orationum famulabatur, sicut patres nostri apostoli statuerunt. Nec propter dignitatem suam gloriatus est vel se iactavit; sed erga omnes submisse se gerebat, ut Dominus noster in evangelio ait [2]: « Qui se humiliaverit exaltabitur, et qui se exaltaverit humiliabitur ». Apostolus vero ait [3]: « Submisse vosmetipsos erga omnes humanas creaturas gerite ». Et Maria quidem [4]: « Humiles exaltavit ». Haec omnia et similia e prophetarum apostolorumque libris cum cognosceret, Anorēwos pater noster, cum fungeretur munere suo, gratiam consecutus est. Sacerdotes monachosque monebat, eis sacros Libros interpretabatur, et dicebat: « In timore Domini procedite; mihi servo otioso similes ne sitis ». Hunc ad modum mulieres et mares modeste hortabatur, nec laudationes intermittebat; iustitiam in charitate docebat, et plusquam odorifera planta odorem exhalabat. Pater noster r a b b ā n operibus suavis erat, ut Salomon ait [5]: « Sanctorum odor est instar odoris turis ». Postquam
*in diaconorum magistrum electus fuerat, vigilantiam adauxit, p. 70.
ieiunia precesque multiplicavit, corporis sui navem mundavit, et puritatis iter peccatoribus ostendit. Videte, o dilecti mei, patris nostris Anorēwos constantiam, quomodo inter sanctos fratres modesto animo fuerit! Scientiam e patrum vaticiniis didicit, ut Propheta ait [6]: « Initium sapientiae est timor Domini

[1] *Prov.*, XI, 5. — [2] MATTH., XXIII, 12. — [3] I PETR., II, 13. — [4] LUC., I, 52. — [5] Cfr. *Cant.*, IV, 11. — [6] *Psalm.* CX, 9-10.

et consilium optimum omnibus agentibus ». Alio loco, autem, ait[1]: « Timor Domini honor est et gloria ». Rursum ait[2]: « Deum timenti pulcherrima erit finis ». Denuo, ait[3]: « Sapientium satietas est timor Domini, et ipsos fructibus suis inebriat; eius aedes omni iucunditate plenae sunt, et eius rami pleni fructibus ». Profecto *timor Domini* patrem nostrum Anorêwos e fructibus suis, qui Christi caro sunt et sanguis, potu satiavit; et *ille* in eius aedibus, id est in ecclesiis, laetatus est. Ut Liber ait[4]: « Ierusalem est condita ut urbs simul coniuncta ». Ramos vero qui dicuntur fructibus impleri, hi sunt apostoli. Et vindimiavit eos, fructus scilicet eorum doctrinae aromata colligens; corpus suum labore defatigavit et semetipsum *ad opus* accinxit. Hunc ad modum pater noster, virgo, spiritaliter certabat. Eius benedictio nobiscum sit, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Redeamus ergo ad initium eius spiritalis certaminis: revertamur, et de patris nostri Anorêwos dilecti magnitudine loquamur: nisi enim nos testantes scribamus et loquamur, quo modo venturae generationes noscent? Ut Bildād Awtênāwi prophetae dixit[5]: « An herba sine aqua germinat? an viriditas, nisi irrigata est, crescit? ». Quapropter pauca de patris nostri praestantis spiritali certamine scribimus, ut qui venturi sunt sciant, quando nos vita functi et profecti erimus: omnes enim humanae creaturae sicut herba transeunt.

Rursum, sancti, concordes animo, eius virtute adspecta, in coenobio illo eum pro omnium oeconomo subter patrem nostrum Takla Hāymānot elegerunt, et ei paruerunt. Ille vero non acerbo animo eis ministrabat, sed submissa voce iubebat, nec propter
p 71. hoc *munus* superbivit, *pulcherrima enim eius agendi ratio erat. Sancti omnes eum diligebant et eius constantiam mirabantur. Monachis dicebat: « Preces intermittere nolite, vigilate, veniam pro carnis sollicitudine petentes aerumnas subite: apud Dominum ministrare praestantius est quam canere ». Quam mirabilis auditu est patris nostri beati memoria! Cum multi, monachi et sacerdotes, aetate maiores et minores in illo coenobio essent, eum in praefectum et in diaconorum magistrum ele-

[1] *Sir.*, I, 11. — [2] *Sir.*, I, 13. — [3] *Sir.*, I, 17. — [4] Cfr. *Psalm.* CXXI, 3; textus corruptus videtur. — [5] IOB, VIII, 11.

gerunt. Vidite et intellegite! Iustus quidem in vita honorabitur et diligetur, praesertim post mortem extolletur. Pater autem noster a pueritia caelorum regnum petiit, et gratiam apud sanctos qui cum eo erant invenit, ut Sirach, filius Eleazar, ait [1]: « Gratia magis quam aurum optanda est ».

Diebus illis, sanctis monachis, cibos capiendi tempore, mulieres moniales ministrabant, quae semper edulia potumque a se parata eis adferebant. Die quadam, pater noster sanctus, cum in procurationis domu esset, cenam paravit, disposuit et patri nostro Takla Haymānot attulit, dicens: « Accede, pater, edamus! ». Sanctus ei respondit, dicens: « An moniales sanctorum cenam attulerunt? ». Et dixit: « Profecto, pater ». Tum pater noster Takla Hāymānot benedictionem dedit et cenavit, et: « Optima vere, inquit, cena nostra hodie est ». Cenam cum absolvissent, cenae tempore, sancti ut cum suo patre ad solem calescerent egressi sunt: tum moniales, pro more, cenam paratam attulerunt. Haec videns, sanctus sanctis dixit: « Undenam quae antea comedimus attulistis? ». Monachorum oeconomus Anorēwos surrexit et dixit ei: « Pater, egomet, cum pro viribus meis paravissem, attuli. Inde ab hoc tempore, pater, haec regula melior esset: discipulos, qui omnibus in rebus nobis necessariis ministrarent, instituamus; mulieres autem moniales iam nobis amplius non ministrent ». His auditis, pater noster Takla Hāymānot in eo laetatus est, ei benedixit magnamque dedit benedictionem, et dixit: « Quemadmodum oportet, constitue, fili mi; tibi concedo et trado potestatem ». Benedictione suscepta, Anorēwos hanc iustitiae regulam in patris nostri domu confirmavit et instituit, quae adhuc viget. His auditis, *mulieres moniales ira repletae p. 72. sunt, earumque corda sicut ignis exarserunt, quia eis ne sanctis ministrarent interdixerant. Qua de causa odium in patrem nostrum Anorēwos conceperunt. Pater noster, *haec* cum novisset, Trinitatis funibus captus cum esset, neque contristatus est neque maestus fuit.

Rursum, mulier quaedam, locum quo ambulabat, quo commorabatur et quo iacebat sedulo observabat. Die quadam, ad eum iacentem progressa, super eum cecidit. Tum *ille* clamavit

[1] *Prov.*, XXII, 1.

et: « *Ecce* pardus! pardus! » inquit. Mulier illa, terrore capta, aufugit. Sancti, eius clamoribus auditis, ad eum venerunt et ei: « Quid tibi accidit? » dixerunt. Ille eis: « Ad me dormitantem, inquit, pardus venit; cum clamavi, a me recessit ». Fratres ei pardum vere apparuisse putaverunt, neque ille de mulieris adventu eis rettulit. Paucos post dies, mulier illa ex alio homine concepit; cui dixerunt: « E quo concepisti? ». At mentita eis dixit: « Ex Anorēwos ». *Quod* cum audiisset, pater noster Takla Haymanot, integerrimus, filio suo Anorēwos dixit: « Num quod mulier dixit, nempe e te concepisse, verum est? ». Sanctus, eius filius, patri suo respondit et dixit: « Nemo a peccato mundus est, o pater! ». Tum patrum nostrorum pater acerbissimum fletum flevit et quid ageret nescivit. Imposita paenitentia, eum in vincula coniecit: sanctus vero, cum propter peccatum quod non patraverat in vincula coniectus esset, laetatus est. Tempore partus properante, *illius mulieris* uterus clausus mansit, et magni dolores eam oppresserunt. Propter morbi gravitatem eam interrogaverunt dicentes: « Cur te hic morbus invasit? ». Mulier illa dixit: « Quia mendaciter in iustum sanctumque Anorēwos locuta sum ». Statim progressi sunt, et illius mulieris verba patri nostro Takla Haymānot rettulerunt: quibus auditis, propter *Anorēwos* patientiam puritatemque admiratione et stupore perfusus, eum illico adiit: « O fili mi, inquit, propter ea quae non patraveras in vincula coniectus es! Nunc vero, laetare, quaeso: te enim exempturi sunt ». Sanctus dixit: « Eximi nolo, nam propter peccata mea vinctus sum », et libertatem recusavit. Patrum nostrorum pater beatissimus magnis efflagitationibus eum cum urgeret dixit: « Quis tibi erit testis? ». Et statim: « Eximere! »
p. 73. inquit. Statim, eius vincula sonum ediderunt, *ex eius pedibus relaxata sunt et bis terque sunt excussa. Id cum vidisset, patrum nostrorum pater coram eo in genua procubuit atque dixit ei: « Parce mihi, parce mihi, fili mi! ». Inde, sancti ambo fleverunt, et de Domini magnitudine collocuti sunt, « Laus ei *sit!* » dicentes.

Pater noster Anorēwos, cum surrexisset, dixit patri nostro Takla Hāymānot, patri suo: « O pater, monachos e mulierum monialium conventu separari melius est: monachi soli, mulieres solae maneant. Audi, pater mi! Num ignis clam inter

ligna manebit? *Monachi* vero se inter semetipsos custodient et non perturbabuntur. Si tentationi obiicientur[1], ignis progredietur, super ligna praevalebit, ea consumet, in cinerem reducet et delebit; nec unum tantum, qui tentatus sit, sed magnos et parvos comburet: nihil, praeter aquam, eum coërcere vel extinguere potest. Itaque homines, maribus a feminis seiunctis, in lege maneant et se custodiant! alioquin, si diabolus eos in tentationem cogitationibus induxerit [2], fornicationis ignis super ipsos praevalebit carnemque et animam consumet; et eum nihil, praeter virorum a feminis separationem, removere vel coërcere potest ». Animarum concionator, pater noster, filio suo dixit: « Pulcherrima haec constitutio est, fili mi; quae dixisti deinceps et in sempiternum fiant! ». Ita factum est. Audite, evangelii filii, virtutem iustitiae patris vestri Anorēwos, iucundissimi et pulcherrimi, corda laetificantis ossaque recreantis! Quomodo constans fuerit et in vincula coniectus sit ob ea quae non patraverat, donec ferrea vincula bis et ter excussa pro eo testimonium darent, meditamini quaeso. Homines vero, quando propter peccata ab eis commissa in vincula coniiciuntur, crimen non confitentur, negant, periurant: pater autem noster, cum femina in eum mendax testimonium protulisset, patri suo siscitanti humiliter paruit et patiens in vincula coniectus est: quapropter martyribus similis fuit. Quemadmodum Macarium magnum et patrem Amoni de coenobio Tonā mulierum causa contumeliis affecerant, ita et patrem animo gravissimum affecerunt: illi sancti prodigio *innocentiam suam* manifestaverunt, isque eorum instar egit. Nunc vero, eius precum benedictio super capita nostra sit, per omnia saecula saeculorum. Amen.

*Caput. — Cum Anorēwos, pater noster, scientia plenus, ita se haberet, eius pater vocavit eum et cum eo collocutus est, dicens: « Veni, fili mi! sacerdotale munus accipe, ad metropolitam procede! ». Secundum magistri iussa, sanctus, cum surrectus esset, ad metropolitam profectus est, ad eum pervenit et sacerdotale munus suscepit; laetans et exultans, regressus est et ad patrem suum rediit. Eius pater, eo adspecto, gavisus est valde; p. 74.

[1] Incerta interpretatio. — [2] Versio dubia.

iustum enim virum genuerat. Pater noster, quidem, Anorewos, in sacerdotio purissimus, sacrificium suum Eucharistiae pane vinoque obtulit, ut Sirach filius Iosuae ait [1]: « Iusti oblatio altare impinguat, eiusque effluvium coram Domino excelso pervenit. Iusti sacrificium sanctum est, neque eius memoria in oblivionem illi veniet ». Paulus iterum ait [2]: « Qui bene ministrant presbyteri duplici honore digni habeantur, *praesertim* qui laborant in doctrina verbi ». Re quidem vera, Anorêwos presbyter famulatus est, et duplici honore dignus fuit, et verbi in doctrina multum laboravit, cum evangelium gratiae praedicaret, carnalem virginitatem in puritate custodiens.

Die quadam, pater noster Anorewos trans flumen, cui nomen est Agat, cum nigrum daemonem in aqua sedentem invenisset, Spiritus Sancti virtute quae sibi inhaerebat illum apprehendit et: « Unde es? inquit, et quale tibi est nomen? ». Daemon ei respondit: « Aedes quidem meae et meae sedes subter aquam sunt; Baḥra ʿAlqem meum est nomen ». Tum pater noster Anorêwos eum ad magistrum suum traxit, cui omnia a Bâḥra ʿAlqem narrata rettulit: his auditis, eius pater obstupuit. Sanctus vero iterans patri suo dixit: « Nobis *ille* ministret! ipsum ad christianam fidem reducamus ». Eius pater respondit ei: « Tu eum baptiza christianumque fac: nobis, sicut dixisti, ministret ». Inde sanctus daemonem illum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizavit, atque ei nomen Ḥarayo Krestos indidit. *Ḥarayo Krestos* prophetarum nec non apostolorum e libris cum disceret, habitaculo cum discipulis electo,
p. 75. *atque paucos post dies monachali veste suscepta, pulcherrimus in omnibus suis agendi rationibus evasit, et senex diem supremum obiit.

Sanctus vero anachoreticam vitam et sacerdotium suum adauxit, secundumque Librorum canonumque mandata se custodivit, patri nostri Takla Hāymānot acceptus fuit et benedictionem ab eo suscepit. Et advenit tempus mortis patris Takla Hāymānot, monachorum concionatoris, qui fuit angelorum instar purissimus in agendi ratione, prophetarum instar adspector mysteriorum, apostolorum instar praedicator evangelii, magistrorum instar orthodoxus, et iustorum confessorumque diadema. Coe-

[1] *Sir.*, XXXV, 8-9. — [2] I TIM., V, 17.

nobii sancti omnes ad benedictionem suscipiendam apud eum congressi sunt. Quibus ille dixit: « O filii mei, ego vero ex hoc mundo migraturus sum ». Et dixerunt: « Cui oves tuas committes, o pater? ». Ille vero respondit: « Domino Deo meo vos committo ». Anorewos pater noster, his auditis, de profundis cordis sui [1] flevit et clamavit: « Pater, pater, antequam anima tua exeat, mihi benedictionem tuam praebe, quaeso ». Tum sanctus filio suo benedixit dicens: « Tibi benedicat Dominus: omnium sanctorum benedictio sit tecum, et omnia quae commissa accepisti pro deposito tuo serva ». His dictis, in gloria et in laude, die XXIV mensis maser, id est naḥasē, quievit. Pater noster Anorewos, sicut Iyazer [2] cum lamentaretur, eum linteis involvit et in sepulchro pulcherrimo composuit. Quemadmodum benedictio patris sui Takla Haymānot super patrem nostrum Anorēwos consedit, ita nunc huius benedictio super capita nostra sit, omni tempore, nec in aliqua hora a nobis discedat, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Pater noster Anorewos, magno dolore et fletu pressus, eius commemorationem cum fratribus suis sanctis celebravit. Inde, semetipsum in cella clausit, et in ieiuniis precibusque stetit. Sancti de oe consilium habuerunt ut eum eligerent. Re cognita, pater noster, ut Romanus confessor et abbā Amoni, munus contempsit; statim surrexit, et in remotam Tegrāy regionem, quae est Ṣa'ādā Ambā, ivit. Illic, cum Baṣalota Mikā'el, beato, convenit. Sicut propheta ait [3]: « Flumen fluens civitatem Domini laetificat »; ita in gaudio et *in leatitia steterunt. Rursum ait [4]: p. 76. « Ecce pulcherrimum, et ecce iucundissimum est fratres simul esse ». Post paucos dies, caput fontis, Baṣalota Mika'el, die XXI mensis ēpifi, id est ḫamlē, quievit; et pater noster Anorewos eum linteis involvit. Eius precum benedictio sit nobiscum. Amen.

Ibi pater noster Anorēwos in solitudine se recepit, multum laborans sanctorumque labores sustinens. Inde ad coenobium patris sui rediit. Patrem nostrum Filpos electum esse cum invenisset, cum eo in amore et concordia stetit. Dum simul commorantur, pater noster abba ḫYa'qob metropolita ad Filpos,

[1] Cfr. *Psalm.* CXXIX. — [2] Nescio an alludat ad IER., XLVIII, 32; quo casu, prava interpretatione, nomen loci lazer quasi nomen personae habet auctor noster. — [3] *Psalm.* XLVI, 4. — [4] *Psalm.* CXXXIII, 1.

gregis pastorem, misit dicens: « Ad me procede, conveniamus, mihi enim spiritale negotium est ». Pater noster Filpos, surrectus, cum multis sanctis progressus est, Anorēwos quoque cum eo processit et ad abbā Yā'qob metropolitam venit. *Metropolita* Filpos dilexit magnique aestimavit; ex eius discipulis decem viros elegit, atque alterum virum, cui erat nomen Marqorēwos, eis consociavit, ita ut eorum numerus duodecim, sicut apostolorum *numerus* esset; super undecim magistros, patrem nostrum Filpos constituit. Et regionem Sēwā in duodecim partes partiti sunt. Patri nostro Anorewos regio Endagabṭan, cui nomen est regio Warab, obvenit et obtigit. Deinde, sancti surrexerunt et ad coenobium sui patris Takla Hāymānot cum suo praefecto Filpos regressi sunt, unde *rursus* profecti unusquisque ad sibi adsignatam partem transiit.

Anorēwos, igitur, cum septem arcis profectus, regionem Endagabṭan, quae Ṭāque dicitur petiit. Ibi hariolam, cui nomen erat Awrēgazabā, cum filio Gat Yenasen, imperium tenentem invenit: incolae omnes ad eius pedes se prosternebant et cotidie pro ea duodecim boves mactabant. His auditis, et quomodo incolae se prosternerent et pro ea mactarent, pater noster Anorēwos venit ad eam, accessit et dixit: « Mulier, cur tibi sacrificant et se ad pedes tuos proiiciunt? tu sane deus non es! ». Hariola illa ob patris nostri laetissimi vocem verita est. Ipse complura e Libris sacris ei exposuit, eam verbum fidei docuit et in nomine Domini nostri Iesu Christi convertit; eius filium quoque convertit. Post paucos dies, eam in nomine Patris et Fili et Spiritus-Sancti, nomine Māryām Ḫāylā indito, baptizavit;
p. 77. *filium quoque, Marqorēwos nomine indito, baptizavit. Ibi, in medio Qarmēlos, ecclesiam parvam condidit; et hariolam illam in monialem elegit, et monacha facta est. Rursus, mulier quaedam ad patrem nostrum, fidei petram, venit, et dixit: « Homone es tu an draco? ». Sanctus ei respondit: « Homo sum ». Et illa dixit: « Age: vestem tuam et cingulum tuum seu funem mihi ostende ». Suas vestes floribus exornatas cingulumque pulcherrimum ostendit. Eius vestes eiusque lumborum cingulum cum adspexisset, dixit ei: « Verumne est, pater, te homines cum Domino in pace componere? » Et *ille* ei respondit: « Sane, compono: nam sacerdos sum ». Et illa dixit: « Me servam tuam, pater, cum Domino in pace compone! » Sanctus, cum

huius mulieris verba audivisset, gaudio magno affectus est et ei de Divinitate loqui coepit; illa in Iesum Christum Dominum nostrum credidit, et pater noster eam baptizavit christianamque in iustitia fecit. Haec mulier, cum ad mulierem aliam, uxorem *hominis dicti* Qualâsten (?), progressa esset, ei de patris nostri virtutibus rettulit. Mulier autem illa cum haec audivisset, ad patrem nostrum profecta est, quo ipse erat pervenit et quaecumque ipsa fecerat confessa est. Sanctus, paenitentia imposita, eam baptizavit, Mâryâm Kebrâ vocavit et dein in monialem elegit; neque illa a tempore quo monialis facta est retro se vertit. Iterum, quinque homines, equis insidentes, e civitate, cui nomen est Enadegut, venerunt. Eos cum vidisset, sanctus laetatus et gavisus est eisque dixit: « Valetisne, filii mei? » Illi ei responderunt: « Propter preces tuas valemus, pater! Tuam historiam cum audiverimus, ad te venimus; hariolam colebamus; nunc vero nos verbum Domini doce, quaesumus ». Sanctus quidem, rem miratus, eos docere humiliter coepit, dicens: « In Dominum credere praestantius est quam in humanam creaturam credere ». Eos hortatus est, multa e Libris sacris recitando, atque, paenitentia imposita, in nomine Trinitatis baptizavit. Eis et arcam dedit, ad quam *reponendam* ecclesiam in sua civitate condiderunt. Plurimi ex Endagabṭan incolis ad patrem nostrum veniebant, quibus ipse verbum Domini exponebat. Hunc ad modum in regione illa stetit, et eius fama longe et procul audita est.

*In terra Warab, Ṣegâgâ appellata, praefectus erat, cui nomen erat Bêrâgbân. Patris nostri Anorêwos fama audita, surrexit, regionem Endagabṭan, ubi sanctus habitabat, petiit et ad eum pervenit. *Sanctus* eum salutavit et ei dixit: « Valesne, fili mi? *Cur* ad me venisti? ». Ei respondit dicens: « Propter preces tuas bene valeo. Cum te hoc in loco commorari audiveram, veni; tu enim Domini vir es. Age! ad regionem meam eamus, ut mihi sis pater ». Sanctus ei respondit et dixit: « Si tecum, fili mi, proficiscar, huius regionis incolae moerebunt ». At vir ille: « Adversus te non moerebunt, pater; veni! Regionem meam explorabis; si tibi grata fuerit, illic manebis; si autem invisam habueris, huc reverteris. Incantatores enim terram meam corrumpunt. Divinatores pater meus et mater mea erant. Ego autem e pueritia Dominum colui, *sed* diu p. 78.

sacerdote carui. Olim, ad sacerdotem quendam ivi et quaecumque *feceram* ab initio usque ad finem confessus sum; ille mihi paenitentiam dedit dicens: 'Nomen tuum Berāghān nequaquam sit, sed vocaberis Zakāryas. Matris tuae nomen erit Markēzā, uxori tuae Māryam Zamadā, et fratribus tuis alteri Abrehām, alteri Ḫarayo Krestos'. Haec nomina nobis imposuit. Nunc vero, accede! ut nobis baptismum conferas, eamus ». Statim, huius viri verba gratiam apud sanctum invenerunt. Vir ille surrexit, iter fecit et urbem regionis Ṣegāgā, Yaguaṭan vocatam, petiit. Eam cum vidisset, sanctus Ṣegagā regionem gratam habuit, et cum viro collocutus est dicens: « Terram tuam, o fili mi Zakāryas, gratam habeo ». Ille autem respondit: « Eximie locutus es! O pater, foedus ego fratresque mei coniunctim ineamus; ecclesiam hic conde! » Respondit dicens: « Ecclesiam ex improviso condere non licet; in precibus autem, Deo favente, praestantius est ». Vir, cum audivisset: « Bene dixisti, inquit: fiat! » Nocte illa, daemones cum echo (?) ad locum, ubi pater noster sanctus et Zakāryas morabantur, venerunt, et eum experimentis usque ad matutinum tempus probaverunt; sanctus vero, precum suarum virtute, illorum vires
p. 79. confregit. *Mane, cum surrexisset, Zakāryas, arcu sumpto, ad agros egressus est, et tres incantatores sub taxum invenit: unum iaculo percussit, qui cecidit et mortuus est; alius, in fugam conversus, se ab eo substraxit; tertium autem tenuit atque manibus post dorsum ligatis ad patrem nostrum Anorēwos traxit. Pater noster, eum cum adspexisset, obstupefactus est, et dixit: « Num incantator homo est? » Tum vir, ense stricta, eum ad pedes patris nostri electi iugulavit. Paucos post dies, sanctus parvam ecclesiam ibi condidit, et loci nomen Teṣā Dabr appellavit.

Cum *autem* hiems advenisset, sanctus hinc recessit, et alium locum, Guaṭan vocatum, petiit: illic, in loco quem vir ille monstraverat, parvam ecclesiam, sicut antea, condidit. Ibi vero paucos dies mansit. Dei sui virtute, ignominia daemones afficiens et prodigia miraculaque operans. Deinde, cum locus nimis angustus fieret ut sanctorum filiorum suorum habitaculum esset, hac de causa paullulum secessit, iter tendit et ad locum alium, cui est nomen Mosaguē, pervenit. Ibi aliquantulum commoratus est, spiritali certamini addictus, atque ecclesiam tentorio similem exstruxit.

Die quadam, cum sanctus domi esset, Zakāryās et Zare'a Abrehām, fratres enim erant, feras per agros venatum egressi in dorcadem inciderunt; eam ab Abrehām sagitta confossam per sanguinis vestigia persequentes, in solitudinem ingressi sunt. Media solitudine locum pulcherrimum areae similem invenerunt. Dorcade dimissa, consilium tenuerunt et dixerunt: « Patri nostro referamus et ei dicamus: ' Locus tibi ad condendam ecclesiam *hic est* '. Statim ille surget et veniet, promptus enim consilio est, et quos invenerit incantatores e regione nostra expellet ». Colloquio absoluto, ad patrem nostrum reversi sunt, et ei dixerunt: « Pulcherrimum locum tibi et post te filiis tuis aptum invenimus ». His auditis, sanctus laetatus et gavisus est, et dixit eis: « Agite, o filii mei, ostendite mihi! » Sanctus, Spiritu Sancto adiuvante, pergens, *cum duobus fratribus et aliquot e suis filiis iter suscepit p. 80. et locum illum attigit: multas arbores et saxa invenit, ibi enim incantatores habitabant. Hanc terram eximiam, areae similem, cum adspexisset, consedit, ad orientem et occidentem, septemtrionem et meridiem oculis exploravit: *quatuor partibus* cum sua cruce benedixit et ibi habitare gratum habuit. Tum vaticinatus est et dixit: « Hic mea requies in aeternum erit: hic morabor, quoniam hunc *locum mihi* elegi [1] ». Videte, dilecti mei! propheta quidem fuit pater noster Anorēwos, et super eum Spiritus Sanctus consedit, et futura noscebat. Ut Paulus ait [2]: « Spiritu praeditus omnia cognoscet », ita ille hunc locum in hereditatem sibi filiisque suis futurum esse cognovit.

Zakāryās, Abrehām et monachis, quibus monachalem vestem, cingulum et cucullum dederat, praecepit: « Eruncate ergo, et verrite; hic habitare iuvabit ». Eius iussis paruerunt. Verrere falcibus et securibus coeperunt. Zakāryās et Abrehām arbores cultris reciderunt, viam sancto complanaverunt et novem aedes condiderunt. Ecclesiam etiam, ut antea, una die perfecit. Cum sanctus huius coenobii planitiem calcando dextrorsum et sinistrorsum contrivisset, fontem invenit: qua re laetatus est. Arborem, septuaginta hominis cubitos longam, recidere mandavit eamque pro ecclesia *aedificanda* destinavit. Illic, pulcherrimum spiritale certamen magnis laboribus cum certaret, stetit. In-

[1] Cfr. *Psalm.* CXXXI, 14. — [2] I *Cor.*, II, 15.

cantatores, qui illic, in argenteis pateris comedentes, in aureis calicibus bibentes, in aureos lectulos dormientes, habitabant, in fugam conversi sunt, et e patris nostri conspectu se substraxerunt; post multos dies, communi consilio, ad eum singulatim regrediebantur, *sed* in eum non praevaluerunt. Hunc ad modum *Anorēwos illic* commoratus est. Quam mirabilia auditu sunt opera Domini, heri! [1] Eius consilia hominum cogitationibus abscondita sunt. Ille vim et robur Anorēwos sacerdoti uncto, pastori ovium sine mercede [2], dedit; ut propheta ait [3]: « Dominus iustos confirmat ». Vere Anorēwos Dei sui virtute superior factus est et incantatores suis precibus expulit! Illic sedem suam elegit; eiusque coenobium valde floruit.

Deinde, Zakaryās appellato, ei dixit: « Age, fili mi, terrae fines mihi ostende, ut ex tua hereditate mea filiorumque meorum hereditas fiat ». Zakāryās ei respondit dicens: « Sane, pa-
p. 81. ter, foedus *sanciamus ». Tum foedus sanxerunt, *nempe quod* Anorēwos esset pater, Zakāryās vero filius. Et Zakaryās patri nostro terram, ut ei filiisque eius post eum in hereditatem sit, tradidit. Dein pater noster, a Domino electus, anachoreticam vitam et monachalem legem observans, in vigilantia coenobium illud incoluit. Et eius fama per regiones omnes audita est. Sanctos multos genuit: eorum maximus fuit pater noster Ferē Menāṭos, quem genuit cum *adhuc* in patris nostri Takla Hāymānot coenobio esset. *Ferē Menāṭos* ei gratus erat eiusque vestigia sequebatur. Omnes eius filii in humilitate et pacato animo ei parebant.

Cum pater noster Anorēwos, margarita, hunc ad modum vitam ageret, eius virtutis fama constantiaeque pulchritudine auditis, filii sororis eius, Pēṭros, Dāwit, Gabra Krestos et Zarufā'ēl, e terra Walaqā ad eum venerunt et patrem nostrum sanctum salutaverunt. Qui dixit eis: « Valetisne, filii mei? Cur huc venistis? » Illi autem responderunt: « O pater, ut tecum commoraremur venimus et nos Libros doceas et in monachos constituas ». His auditis, sanctus laetatus est et eis benedixit. Cum eo commorati sunt: theologiam necnon explicationem ab ipso didicerunt. Eorum virtute perspecta, pater noster illos monachali sanctorum veste induit. Egregii semper fue-

[1] *Psalm.* CXXXVIII, 14. — [2] IOH., X, 12. — [3] *Psalm.* XXXVI, 17.

runt, et eorum mentio ubicumque audita est. Rursum, filius eius fratris, Gabra Nāzrawi vocatus, e civitate Mugar ad eum venit: cum apud eum commoratus esset et psalterium Davidis Librorumque lectionem didicisset, monachali veste indutus est. Pater noster, pastor ovium, sanctos permultos genuit: Sāmu'ēl, et Romānos, et Ṣagā Feṣum, et Zosimās, Takasta Berhān, et Ezrā, Iyāsu et Fiqtor, Bakimos et Tawalda Madḥen, Gorgoryos et Yeshaq, Gerlos et Yohannes, aliosque innumeros, quorum nomina non dicemus, ut propheta ait[1]: « Apud me quidem valde honorati socii tui sunt, Domine ». Et antiquis praestantiores valde fuerunt. Eorum numerus arena maior: revera propter Anorēwos eorum patris preces percrebuit, atque eorum mentio celebrata est. *Nunc vero eorum benedictio nobis p. 82. contingat, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Nunc vero, pater noster Anorēwos, fidei petra, cum in suo coenobio esset, regem novercam in matrimonium duxisse auditu accepit. Dolore perculsus, dixit: « Quid agendum? Apostolorum enim praeceptum violatum est ». Filios congregavit et collocutus est cum eis: « O filii mei, inquit, Domini praecepta regem violavisse, patris sui uxorem in matrimonium duxisse auditu accepi; idcirco eum adire volo, fortasse ad paenitentiam admonitionibus reducere potero: si autem id agendi mihi vis non erit, martyr ob Domini nostri Iesu Christi occumbam et propter eum sanguinem meum effundam ». Filii ei responderunt: « O pater, cui tuas oves precibus tuis multiplicatas relinques? O pater, gregis pastor, cur gregem tuum in hoc coenobio deseres? Utrum feris an lupis? O pater, pater noster, spiritus nostri pater, indumentum puritatis nos a pollutione *eripiens*, si tu nos, derelictis ovibus similes, deseris, quis nos doctrinam docebit? Num patrem alium tibi similem invenire possumus? » Ita sancti magno fletu, lacrimis quasi aqua fluentibus, fleverunt, cum patrem suum martyrii cupidum vidissent. Ipse lugens eis dixit: « Ego egrediar: vobiscum Dominus sit, digne perseveretis! » Tum pater noster Anorēwos, margarita, quasi in convivium ad bibendum mulsum vocaretur festinans et properans surrexit. Discipuli cum luctu et dolore ei valedixerunt, alii regressi, alii *autem* cum

[1] *Psalm.* CXXXVIII, 17.

eo progressi sunt. Cum iter faceret, in patrem nostrum Filpos incidit, et eum in Sancto Spiritu consalutavit. Tum ambo de certamine in regem ob Iesum Christum collocuti sunt. Cum surrexissent, castra regis, multis sanctis comitantibus, attigerunt.

Illa die, rex 'Amda Ṣyon, cum audivisset sanctos venire ut adversus ipsum propter iustitiam decertarent, illos concordes esse intellexit; tum, imperans, *militibus* suis: « Vestes pulcher-
p. 83. rimas induite, inquit, equos parate, *clipeos telaque sumite, leones terribiles adducite! » Milites regis iussis paruerunt: ipse autem induit vestem oculis colore coruscantem multisque ornamentis se exornavit. Erat quidem visu mirabilis et tremendus. Super regium suum thronum cum sedisset, sanctos admitti iussit, eosque admiserunt. Tum rex collocutus eis: « Cur huc venistis? » inquit. Pater noster Anorêwos, Spiritu ebrius, respondit et dixit: « Te praeceptum Domini violavisse cum audivissemus, venimus, ut te de apostolorum praecepto moneamus. Tibi patris tui uxorem in matrimonium ducere non licet, namque ipsa tibi est mater ». His auditis, rex ira exarsit et eos magnis flagellationibus flagellari iussit. Die illa, clamorum multitudine terrae motus ingens fuit. Anorêwos autem, cum flagellaretur, laetatus est valde, atque iustitiam intendit, verborum Domini in evangelio [1] memor: « Nolite timere eos, qui occidunt corpora vestra, in animas autem vestras potestatem non habent: potius timete eum qui, corpore interfecto, corpus et animam in ignem gehennae proiicere potest ». Paulus vero ait: « Mortem timere nolite, peccatum autem timete, mors enim vos non relinquet ». Haec omnia cum intellegeret, firmiter sibi martyrium proposuit, et flagellationem, quasi nihil esset, elegit. Inde rex dixit: « Flagellationem intermittite: eos in vincula, manibus post dorsum ligatis, coniicite; illos singulatim apprehendite, neque simul maneant: postero mane eos adducetis! » Hunc ad modum steterunt. In vincula, manibus post dorsum ligatis, eos coniecerunt. Sancti noctem in vigiliis precibusque egerunt, Dominum suum Deum deprecantes.

Postero mane, eos adduxerunt et coram rege traxerunt. Statim autem Sanctus Spiritus eos replevit. Cor *sancti* Ano-

[1] Matth., x, 28.

rēwos, puritate induti, propter Divinitatis amorem exarsit, sicut Salomon dixit in Canticis canticorum [1]: « Fortis est ut mors dilectio, et dura sicut Śeol aemulatio, et alae eius sunt igneae alae, aquae multae non poterunt dilectionem exstinguere neque flumina labefacient illam ». Re vera, nec labefactum est nec declinavit cor eius ab amore Dei. Regem impavide, in magno concilio, redarguit et ei dixit: « Tibi *patris tui uxorem sumere p. 84. non licet ». Tum rex iratus eum et omnes pariter sanctos cruciari et verberari iussit; atque septem scuticis eorum quemque flagellaverunt. Eorum sanguis quasi aqua fluxit. Tum vero ignis ex illo loco egressus est, et flammae regis ianuam attigerunt. Pavor et tremor milites invaserunt. Rex etiam perterritus est: discedere voluit, et aquam e flumine haustam in ignem proiicere iussit. Aquam cum proiicerent, flammae fortiores se praebuerunt et valde maiores fuerunt. Ea die, terror maximus fuit: regis milites, sanctorum flagellatione intermissa, trepidantes ab igne aufugerunt. Monachi vicerunt, regis milites victi sunt, ut dicitur in Libro [2]: « Namque Dominus iustos non dimittit purosque ulciscitur ». Profecto Dominus sanctorum ultionem petiit eosque adiuvit; quo eorum sanguis perfusus erat ignem attulit et in regis cor terrorem iniecit. Inde, sancti ut flammae defervescerent deprecati sunt: et extinctae sunt. Pater noster Anorēwos superior fuit et praevaluit, in Davide propheta quemadmodum dicitur [3]: « Iustus ultionem videns laetatur ». Postea, albae muscae venerunt et equos mulosque pungebant; muscarum morsibus animalia multa perierunt. *Hac de re*, dolor novus regem eiusque copias pressit, neque quid agerent sciebant. Rursus, rex et copiae cum sectatoribus suis consilium iniverunt. *Ille* dixit: « Quid de monachis illis faciendum est? » Regis sectatores ei responderunt: « Illos in exilium a nobis compelli, ne tibi proximi sint, iubeas; in terram remotissimam illos compellemus! » Consilium rex gratum habuit, et iussit. Anorēwos *autem* unicuique e militibus praedixit quomodo eorum ignominia et novaculae signum in vultu scapulisque manifestabuntur [4]. Inde in regionem remotam eos expulerunt. Milites, sicut rex dixerat, egerunt et eos in remotam regionem

[1] *Cant. Cant.*, VIII, 6-7. — [2] Cfr. *Psalm.* XXXIII, 23. — [3] *Psalm.* LVII, 11. — [5] Haec mihi obscura sunt.

compulerunt. Anorēwos certatorem in provinciam Walaqā pepulerunt. Ibi, precibus magnaque abstinentia vigilans, stetit, et
p. 85. pro rege etiam orabat, ut *Dominus eum ad paenitentiam flecteret: diu supplicavit. Ex incolis *regionis* Walaqā multos sua sapientia ad Domini religionem reduxit.

Multos post dies, rex diem supremum obiit, et eius filius in eius locum successit. *Hic*, sanctos in exilium expulsos esse cum compertum haberet, misit eosque convocavit. Patrem nostrum abba Ya'qob, metropolitam, venire iussit. Rex iste cum *metropolita* foedus pactus est, *iurans* se cum una tantum muliere habitaturum esse; et sancti domum reversi sunt. Pater noster Anorēwos ad coenobium suum rediit. Ob eius reditum monachi, grex eius, laetati sunt. Illos docere, theologiam exponens, incepit; in abstinentia manebat et sanctos multos, sicut antea, genuit. Eius coenobium valde elatum est, eius virtutum fama usque ad terras remotissimas est audita, et eum in patrem elegebant.

His auditis, Enāret [1] incolae ad eum venerunt et dixerunt: « O pater, nobis pater sis! ecclesiam nomine nostro [2] conde! » Et sanctus dixit: « Sit Domini voluntas! ». Domino favente, ad civitatem Enāret, cui nomen est Enahaṭey [3], progressus est, et terram cum gratam habuisset, ecclesiam Gabrieli dicatam condidit, sacerdotes diaconosque constituit, filios pulcherrimos genuit et communitatem ordinavit. Illic mansit; e loco ad locum pererrabat et in laboribus continentiaque solitariam vitam agebat, memor vocis prophetae qui ait: « Qui in mundo labore defatigatus est in aeternum vivet ».

Patris nostri Anorēwos, stellae nuptiarum, abstinentiam cum audivisset, abbā Yā'qob, metropolita, eum rogavit ut aliquid interdum degustaret; qua de causa eum diligebat.

Paucos post dies, satanas surrexit et regem decepit. Rex patris sui uxorem in matrimonium duxit, et prava patravit.

[1] In ms. tum Enāret, quae vulgaris forma esse videtur, tum Enāre'et, quae forma videtur antiqua, scriptum est. — [2] Aethiopes in arca (tābot) nomen pagi vel gentis vel familiae, quae ecclesiam condidit aut clerum ecclesiae addictum sustentare spopondit, interdum inscribunt. Auctor noster ad hanc consuetudinem alludere videtur. — [3] In ms. modo Enahaṭey, modo Enahanṭei scriptum est: cum nomen aliis locis compertum non habemus, quae forma recta sit ignoramus.

His auditis, sicut olim, sancti, congregati sunt et consilium tenuerunt de rege cum mansuetudine admonendo, *parati*, si converteretur, ei paenitentiam imponere, si vero se convertere renuerit, cum eo usque ad gladium dimicare. Pater autem Anorēwos, *filios suos sequens, martyrium sibi exoptavit. Fere p. 86. Menāṭos filio suo coenobium custodiendum reliquit, et ipse cum filiis multisque sanctis regis castra petiit. Rex, de monachorum adventu ad certandum certior factus, ipsos coram se admitti iussit. Admiserunt. Tum rex collocutus est: « Quid huc vos e locis vestris adduxit? vos enim monachi estis ». Anorewos interpres ei respondens dixit: « Rumorem de te audivimus, et ideo ut tibi verbum Divinitatis exponamus venimus, sicut apostoli in Synodo nobis praeceperunt. Eorum praeceptum violavisti: hac de causa ut colloquendo te convertamus venimus ». His auditis, rex ira commotus militibus suis praecepit ut sanctum verberarent. Et eum verberaverunt. Tum *sancti Anorēwos* sanguis e naribus ad terram fluxit. Id cum vidissent, sancti eius discipuli, praesente rege, se praecipites darunt alter altero celerius currentes, et eius sanguine uncti sunt, ad mortem et ipsi parati sicut eorum pater martyr. Hunc ad modum cum eum cruciarent, nec metuit nec pavit: sed laetus exsultavit, atque cum rege de fide disputavit et contendit. Haec audiens, vir quidam, quem qays ḫaṣay [1] (i. e. *regis presbyter*) appellabant, patrem nostrum Anorēwos, margaritam, palmis percussit, ut gratiam apud regem inveniret. Sanctus ei dixit: « Cur me palmis percutis? Te Dominum magis quam homines sequi deceret! » His dictis, siluit neque ei maledixit. Statim ille qays ḫaṣay, qui palmis sanctum percusserat, mortuus est: quae cum vidissent, omnes admiratione et terrore commoti sunt valde, quemadmodum dicitur [2]: « Et expaverunt qui ea viderant omnes ». Populus universus territus est. Rex *autem*, his visis, maiori furore adversus Anorēwos incensus est, et eum crudeliter flagellari iussit. *Sancti* sanguis quasi aqua fluxit et pellis, e carne discerpta, frustatim cecidit. Id cum vidissent, discipuli linteamina attulerunt et eius vulnus ligamentis circumdederunt. Tertia die, cum linteum *sanguine* rubrum abstulissent ut plagam lavarent, vulnera aperta sunt, et sanguinis magna copia

[1] Vulgaris tigraica forma est pro qaysa ḫaṣē. — [2] *Act.*, v, 5.

efflúxit. Discípuli fleverunt, et qui viderunt eius constantiam mirati sunt. Ille autem hac de causa litem adversus regem minime
p. 87. abrupit, nec regis minis territus est. *Rex, consilio cum imperii optimatibus inito, sanctum e suis ianuis expelli et ad regionem Dārā, Ṣawan vocatam, deduci iussit. Sanctum cum eximiis eius filiis expulerunt.

Cum iter facerent, monachi et moniales fame consumpti sunt, et ei dixerunt: « Pater, pater, ob sitis vehementiam viribus defecimus ». His auditis, sanctus propter filios suos contristatus est. Cum arborem saglā grandem altissimamque adspexisset et super eam fructus, sanctus accessit, deprecatus est, et Dominum Deum suum suppliciter oravit: tum arbori in nomine Trinitatis benedixit, et *arbor* secundum eius iussa se inclinavit, sicut servus domino suo paret. Sancti patris nostri filii surrexerunt, e fructibus arboris, quae sancti benedictione se inclinaverat, comederunt, et simul laetati et satiati sunt: *denique arborem* reliquerunt. Cum reliquessent, *illa* se erexit, ad pristinum locum et statum reversa est. Videte, quae Anorēwos pater noster gessit! Ut evangelium ait[1]: « Si habetis fidem sicut granum sinapis, et dicetis huic arbori moro (saglā): Eradicare et in mare transponere, obediet sane ». Haec cum intellexisset, sycomoro imperavit et *sycomorus* ei paruit. Rursus, cum siti torrescerent, eius discipuli eum allocuti sunt dicentes: « Siti magna consumimur, pater! aquam nobis, precibus tuis, prome! » Sanctus exsurrexit et Dominum deprecatus est dicens: « Servi tui preces audi, servorum ancillarumque tuarum sitim adspice! » Pro more suo magnas preces fudit: precibus absolutis, terrae benedixit, et aqua e terra erupit et fluxit, quam monachi et moniales ad satietatem, Dominum celebrantes, biberunt. Sanctus quidem sui Creatoris nomini gratias egit, quia per ipsum miracula operatus erat, quemadmodum Liber vitae ait[2]: « Quaecumque credentes suppliciter petietis, vobis in veritate fient ». Cum in fide petivisset, res magna ei facta est. Propter aquae scaturiginem similis Moisi prophetae fuit! Dein, regis legati, quibus stuporem miraculis suis iniiciebat, ad regionem Dārā eum adduxerunt, ibique cum eius filiis, sicut ipsis praeceptum erat, reliquerunt.

[1] Luc., xvii, 6. — [2] Marc., xi, 24.

Ibi, supplici orationi et maiori spiritali certamini *addictus, Anorēwos* commoratus est. *Infideles (arami) cum eum p. 88.
vidissent arcum sumpserunt, et eorum unus sagittam in sanctum iaculavit. Quaedam monialis, cui erat nomen Markēza, id cum vidisset, semetipsam sagittae obiecit; iaculo percussa est, et statim propter patrem suum Anorēwos occubuit, atque inter confessores adnumerata est: eius preces nobiscum sint, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Olim, moniales in solitudinem pabulatum egressae, aqua deficiente, vehementi siti consumptae sunt et morti proximae fuerunt. Ad terram propter aestum cum cecidissent, clamaverunt dicentes: « Pater, pater, consumimur siti! » Sanctus eas eminus audivit et de ipsis contristatus est. Eius dolore necnon monialium clamoribus perceptis, Dominus, quo nullus erat imber, aridităţis tempore, imbrem statim, sine mora, misit; moniales biberunt et potu satiatae sunt. Pluviae aqua in truncorum cavis recepta est et in solo est collecta, atque monachis et monialibus per quindecim dies potum praebuit. Cum aqua collecta consumpta erat, novus imber eis alimentum dabat.

Hunc ad modum ob sancti Anorēwos preces perstiterunt. Eius miraculorum famam senes et pueri audiverunt. Ille vero multos ex infidelibus convertit et ad christianam fidem adduxit. Monachi et moniales in provincia illa triticum in nutrimentum non invenerunt: gramen autem sicut animalia edebant. Sanctus vero eos adhortationibus firmabat Dominique verbis sustentabat. Ibi, ex eius filiis, sacerdotes et diaconi, masculi et feminae, centum viginti et octo, martyrio absoluto, mortui sunt. Eorum precibus Dominus misereatur nostri. Amen.

Postea, cum regi miracula prodigiaque a sancto patrata retulissent, eum in insulam magni lacus, cui nomen est Zeway, in exilium eiici statuit. Milites sanctum cum superstitibus filiis e Dārā expulerunt, ad Zewāy lacus insulam traxerunt ibique, secundum regis mandatum, reliquerunt. Ibi commoratus est, mirabilia gerens et ieiuniis carnem affligens: filios spiritaliter genuit, quorum *alii anachoreticam vitam sequebantur, alii p. 89.
sacra colebant, alii *Scripturarum* interpretes fuerunt: sanctorum enim vestigia multis rationibus inveniuntur. Pater noster Anorēwos filiorum suorum excellentia laetabatur, pulcherrimam eorum agendi rationem cum adspiceret; neque merito superbiit,

sed quasi peccatorem se habebat et alios doctrina sua iustos reddebat. Eius memoriae suavitas, eius agendi rationis iucunditas, et quomodo magnas res precibus suis patraret audita sunt.

Tum rex ad eum legatos misit qui ipsum inde expellerent. Legati ad patrem nostrum sanctum pervenerunt, et dixerunt ei: « Age; quo rex nos iussit eamus! » Id cum audivisset, sanctus laetatus est, filios convocavit et surgens cum legatis illis ex insula lacus Zewāy ad terram Dāmot, cui nomen est Gamasqe, profectus est. Ibi dies multos mansit; magnas res gessit, rore foliisque vitam sustinens. Videte, dilecti mei, confessoris constantiam! Neque de corpore sollicitus fuit, neque exilio doluit, sed cogitationes suas ad Dominum suum Creatorem intendit.

Deinde, rex ob sanctorum preces ab errore conversus est. Ad omnes monachos, qui expulsi erant, legatos misit dicens: « Eos adducite! » Et eos adduxerunt. Pax et amor inter regem et sanctos fuere. Rex eis domum redeundi veniam dedit. Sanctus igitur ad magnum coenobium suum, Ṣegāga appellatum, multis monachis sive viris sive feminis, filiis suis, comitantibus, reversus est. In eius adventu incolae laetati sunt, et ipse strenuum gregem suum invenit. Ibi in iustitia habitavit. Veteres puerosque *monachali veste* induit, et *discipuli* aucti sunt numero valde.

Post haec discipulos ad regionem Dāmot, cui est nomen Zegat, misit: locus vero Yahēdenen vocabatur. Ibi ecclesiam condiderunt, et *sancti* filii multiplicati sunt. Rursus, ecclesiam alteram in Denger, prope Yahēdenen, condiderunt, et ibi *etiam* filii multiplicati sunt. Tertiam ecclesiam prope Yadenger[1] condiderunt. Tres *istae* ecclesiae propter patris nostri Anorēwos preces celebratae sunt. Ipse, sanctorum monachali veste *discipulos* induens, dies agebat.

Cum pater noster in coenobio esset, satanas eius filiorum quendam suscitavit, qui *sanctum* apud regem criminis argueret. « O rex, ait, Anorēwos a te desciscens milites tuos ad mona-
p. 90. chalem vitam reducit, et *suos discipulos facit. Hic ecclesiam tu condis, ipse *autem* aliam in regione Warab condit. Sēwā incolae omnes ei obsequium praestant, et eum regem, qualis tu

[1] V. 26: Denger. In Aethiopiae regionibus ad austrum versus occidentem, praesertim in Gāfāt, locorum vel gentium nomina saepe ab *Ya-* incipiunt: ex. gr. Yafatmat, Yawabbi, Yawabat, Yasubli etc.

es, creaverunt. Nunc autem cursores e militibus tuis mitte, qui illum ad te adducant ». Verbis monachi auditis, ea vera reputavit rex; cor eius ira exarsit, et copias magnas cum Sāfāy, *militum* (?) Guedām principe, misit. Milites die dominica pervenerunt tempore quo sancti quinquaginta hymnos secundum praecepta canebant. Sāfāy cum patre nostro convenit et ei dixit: « Sanctos filios tuos convoca, ut tibi regis nuntium declarem! » Sanctus filios convocavit. Tum Sāfāy regis nuntium declaravit; *sed* sanctus legatos non timuit, martyrii enim cupidus erat. Regis legatus, cum ecclesiam quam sanctus aedificabat inspexisset, miratus est et dixit: « Sitne falsus talis vir, et quae invenit (*excogitavit*) dicat?[1]. Hic monachus calumniator regi dixerat: ' Anorēwos ecclesiae suae quadraginta ianuas fecit, et milites tuos multos ad monachalem vitam induxit '. Nunc autem video tres esse ianuas et, praeter unum, e regis militibus nullum inveni! » His dictis, siluit. Postero die, primo mane, regis legati patrem nostrum abduxerunt, militem illum qui sese ad monachalem vitam receperat gravibus catenis vinxerunt, et profecti sunt. In itinere miles ille, Domino lubente, e vinculis aufugit. Monachus qui mendaciter sanctum accusaverat in itinere mortuus est, ut propheta ait[2]: « Peccatoris mors saeva » Legati patrem nostrum sanctum ad regem deduxerunt. Tum rex, ira incensus, ius flexit et eum in provinciam Gedem expelli iussit. Expulerunt. Ibi ut antea in supplicibus orationibus commoratus est; multos ad monachalem vitam induxit, ecclesiam sanctam condidit, sacerdotes et diaconos, monachos et moniales instituit; coenobium pulcherrimum factum est. Dominus hanc ecclesiam gratam habuit, et fideles in ea multiplicati sunt.

Deinde, cum sanctus in illo coenobio commoraretur, pauper quidam advenit et a patre nostro panem petiit: sanctus statim surgens frusta quae ei daret in suo habitaculo quaesivit, sed non invenit: regio enim in *quam expulsus erat fame premebatur. Propter pauperem contristatus est, et, discipulis appellatis, eis dixit: « Date, et vobis dabitur[3] ». Illi dixerunt ei: « Quid nobis est nisi paullulum panis quo in eucharistica mensa utemur? » At ille respondit eis: « Ei date et Dominus dabit vobis ». Mendico panem dederunt. Rursus, cerevisiam ut bibe- p. 91.

[1] Dubia interpretatio. — [2] *Psalm.* XXXIII, 22. — [3] Cfr. Luc., VI, 38.

ret petiit; pater noster ei dare iussit, et dederunt. Tertio petivit dicens: « Pater, hodie comedi, bibi et satiatus sum; cras fame cum meis liberis meaque uxore moriturus sum! mihi paullulum tritici dare iubeas, quaeso; libera me *a morte*! » Ei dare iussit. Tum dixit homo patri nostro: « Quid faciam de tritico quod mihi dedisti, si viatico careo? » Ei dare iussit; et dederunt. Rursus, homo ille pergit dicens: « Omnino me adiuva, nudus enim sum; me indue, quaeso ». Sanctus in laetitia laeniter risit; vestem cepit et ei tradidit dicens: « Quae Dominus tibi attulit accipe! » Videte pulchritudinem iustitiae patris nostri Anorewos, eleemosynarum amantis! Una hora quinquies homini *eleemosynam* dedit, et id non cum deliciis iucunde frueretur, sed cum fame pressus esset; nam dives cum inope non exaequatur, sicut dicitur: « Dare melius est quam invenire[1] ». Et ideo, eleemosynarum administrator, ut Iob, fuit.

Postea, olim, cum pater noster Anorēwos, propter Dei sui virtutem thaumaturgus, *illic* commoraretur, venit magnus draco, longissimus et tumens corpore: erant ei squamae corio elephantium similes, et super dorsum *plantae* germinaverant, *quae*, eo procedente, agitabantur. Illum cum vidissent, incolae ad patrem nostrum Anorēwos clamaverunt ut oraret. Sanctus quidem prope draconem oravit. Tum *draco*, linguam motitans, sanctum vorare expertus est; sanctus autem ei cum signo crucis benedixit, et draco illico detrusus et mortuus est. Qui viderunt obstupuerunt, qui audierunt mirati sunt. Provincia illa, in qua draco mortuus est, Islamicis (t a n b ā l ā t) proxima est, et Dominus in sanctis suis est laudatus. Vere Anorēwos in draconis immundi caede Theodoro similis fuit! Rursus, novus Theodoro fuit socius! Nunc autem, patris nostri Anorēwos benedictio, sine vituperatione, eos (*eius discipulos*) sicut vestis tegat et spiritaliter a diaboli pugna tueatur, per omnia saecula saeculorum. Amen.

p. 92. *Rursus, audite Anorēwos patris nostri miracula, Dei sui virtute operata! Tritico deficiente, sationis tempore, sancti ei dixerunt: « Pater, quodnam *semen* arvis nostris committemus? triticum enim nobis deest ». Sanctus eis respondit: « Agite, paullulum quaerite, filii mei ». At sancti ei dixerunt: « Quae-

[1] *Act.*, xx, 35.

sivimus, nec invenimus nisi triticum perpaucum quod germinavit et exsiccatum est ad cerevisiam faciendam ». Et ille dixit eis: « Illud terrae committite! » Illi vero ei dixerunt: « Quomodo germinabit, pater, cum iam germinaverit et exsiccatum sit *ut aptum sit* ad cerevisiam mulcendam ». Eis autem respondit: « Domino favente, germinabit et semen fructum dabit ». Tum ei paruerunt, et triticum illud quod germinaverat, cuius radices exsiccatae erant, attulerunt; *et* sanctus benedixit et filiis tradidit ut sererent. In arvis seruerunt. Germinavit pulcherrimumque evasit. Messium tempore, messuerunt, in area trituraverunt et domum septuaginta asinorum onera ex eo immiserunt. Haec sancto rettulerunt; cum audivisset, laetatus est. *Omnes* Domino gratias egerunt. Qui viderunt et audierunt valde obstupuerunt. Mirabile stupendumque facinus a Domino erga dilectum suum peractum videte! Sicut ait de eo propheta[1]: « Mirabilis est Dominus super sanctos suos ». Profecto, mirabilis est Dominus: ad nutum suum agit. Eum laus et gloria decent, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Rursus, sancti patris nostri Anorēwos, spiritu ebrii, miraculum audite! Canis saevissima erat: ecclesiam damnis afficiebat, per plateam errans ex incolarum aedibus furabatur, divitibus et pauperibus oblatrabat. Olim, prope locum accessit ubi pater noster Anorēwos erat, et cubuit. Ea adspecta, eius faciei sanctus in nomine sanctae Trinitatis benedixit et, voce sua potentissima: « Apage, o canis, inquit, a me recede! » At surgere noluit, truculenta enim erat. Sanctus incolis dixit: « Cur canis ista mihi non paret? » Incolae responderunt ei: « Semper ex aedibus nostris furari, atque ex aedibus ad ecclesiam errare solet ». Tum, pater noster prudens cani maledixit dicens: « Ab hoc tempore *in ecclesiam rursum ingredi vel ab incolis furari p. 93. vel ab eorum aedibus quidquid ex eis quae tibi non data sint surripere noli! *Haec* ab hac die et per omnia saecula saeculorum sub maledictionem te iubeo. Apage, te in aedibus commorari decet; in urbis platea iam mane, te ferae solitudinis non vorabunt! » Illico canis illa surrexit, recessit et procul stetit. Sanctus pro ea parvum cubile, fruges custodientium casis simile, incolas exstruere praecepit; illud exstruxerunt. In casam, patre nostro

[1] *Psalm.* LXVII, 36.

sancto iubente, ingressa est, neque amplius prope ecclesiam accessit, neque incolarum aedes introivit, nec *quidquam* rapuit; sed ei nutrimentum prout volebant dabant. Hunc ad modum canis multos annos stetit. Cum sanctus e coenobio illo in aliud coenobium suum abiret, canis eum secuta est, quam cum vidisset sanctus ei praecepit: « Revertere! quae tibi mandavi omnia serva! » Illa, eius verbis obediens, reversa est, neque in incolarum aedes usque ad mortis suae diem ingressa est, neque canes ex ea nati in aedes ingressi sunt; eius catulorum catuli adhuc sunt, in aedes non ingrediuntur, nec eos belluae vorant, sicut pater noster presbyterorum princeps iussit et statuit. Quam mirabilia facinora faciebat pater noster electissimus, iucundissimus, pulcherrimus! Suarum precum virtute nos ab omni malo tueatur. Amen.

Rursum, cum pater noster Anorēwos in regione Mâyn, in coenobio suo, esset, ecclesiam aliam in provincia Amḥarā condidit, eamque, sacerdotibus et diaconis, monachis et monialibus institutis, in coenobium sanctorum filiorum suorum ordinavit; ibi quoque multa miracula operatus est. Ad regionem Mâyn regressus, magna in vigilantia stetit.

Decimo et septimo anno postquam in exilium *sanctus* expulsus erat, rex milites suos ad eum deducendum misit. Milites eo pervenerunt ubi sanctus erat, eique regis nuncium exposuerunt, ut domum rediret. Tum sanctus surrexit, sanctos sui coenobii incolas convocavit et dixit eis: « Regis e parte nuncius ad me pervenit. Ad coenobium meum in provinciam Ṣegāgā profecturus sum. Vos in concordia manete! » His auditis, sancti
p. 94. *ob eorum patris iusti discessum fleverunt et luxerunt. Tum, sanctus reversus est et ad regem pervenit: apud hunc gratias magnas invenit. Rex eum in pace domum remisit. De patris adventu nuncio accepto, Ṣegāgā incolae laetati sunt: eum magno cum honore exceperunt et ab eo benedictionem susceperunt. Sanctus, in suum coenobium ingressus, ecclesiam ab ipso conditam cum vidisset, propter eius pulchritudinem laetatus est. Ibi, in solitudine degens, filios congregabat, communitates instituebat, Libros interpretabatur. Si in Libris aliquid arcani vel interpretatu difficile inveniebat, se in cella clausa recipiebat et ardentissime orabat: mox *arcana* ei manifestabantur, necnon Spiritus munus (?) concedebatur, et omnia Di-

vinitatis mysteria interpretabatur. Hunc ad modum in continentia, semetipsum laboribus adfligens, stetit.

Olim, cum sanctus in suo coenobio esset, eius filius Zakāryās cum eo collocutus est: « Pater, inquit, est homo quidam, Budi nomine, quem satanicus spiritus invasit: ipsum incantatores colunt, idolatrae omnes venerantur. Eius locus Bazerguay vocatur ». Filii sui verbis auditis, quendam ex suis filiis, cui erat nomen Dāwit, honore dignum et Scripturae interpretem, appellavit eique dixit: « Accede, fili mi! ad regionem Adamat, ad locum cui nomen est Bazerguay, sacerdotibus et diaconis comitantibus, i, ibique eucharistiam para, donec veniam ». Filius ei respondit: « Sane, o pater, sicut mihi praecepisti *perficiam* ». Surgens igitur, ture et facibus et suffimento susceptis, cum fratribus suis sacerdotibus ivit; ad locum, sicut sanctus mandaverat, pervenit, et quae ad eucharisticum mysterium necessaria sunt, cum parvam domum parasset, disposuit. Pater noster Anorēwos, cum ceteris filiis suis, secutus est, arcam deferens, et, Zakāryās filio suo duce, illic pervenit. Cum pervenisset, serpentem magnum ad ianuam illius hominis, quem divinibus honoribus colebant, invenit: super eum sanctus benedixit, et statim *serpens* mortuus est. Quod videns, improbus ille terrore percussus se fugae commendavit et ignominia affectus est. Sanctus autem in improbi domum ingressus est et in nomine Trinitatis benedixit: in eam magnum thronum fixit, *arcam posuit, et ipsa die eucharistiam celebravit. Eucharistiae tempore, draco magnus e tecto descendit; quem cum vidisset, sanctus benedixit, atque sacerdotes eum verberaverunt; tum, mortuus est. Eucharistia absoluta, sanctus in oratione, pro more suo, stetit. Paullo cum seccessisset, ecclesiam in loco cui est nomen Darṭān condidit; ibi sacerdotes et diaconos instituit. Paucos post dies domum rediit et secum scelestum illum, manibus post tergum vinctis, duxit. Sanctus ei dixit: « In Dominum crede; ego vero paenitentiam tibi imponam ». At credere renuit, nec ad paenitentiam se vertit, saevus enim erat, nec ceteris hariolis similis. Motalamēn [1] eum colebat; et dona, magnas lapides, e flumine Romā afferre faciebat: multi quidem eum divi-

p. 95.

[1] Princeps ethnicorum regionis Dāmot finitimorumque Agaw fuisse videtur. De eo Acta S. Yarēd et S. Takla Hāymānot referunt; antiqui bellici cantus regem 'Amda Ṣyon I contra eum pugnantem celebrant.

nis honoribus colebant, et si sua bona, vel vaccas vel mulos vel asinos vel equos amiserint, ne ferae vorarent obsecrabant dicentes: « In nomine Budi res nostras tangere nolite »: et ferae non tangebant. Hariolorum autem mulieres, cum panem in sartagine super ignem ponebant, igni dicebant: « Comburere noli: te per Budi deprecamur »; et cum olera in olla coquebant, igni *pariter* dicebant: « Olera quidem comburere noli! »: atque, his dictis, procul abibant, et, post moram cum redibant, olera vel panem igni *cocta sed* non combusta inveniebant. Pater noster Anorēwos hunc scelestum virtute Domini cepit et post dorsum *manus eius* vinxit. Scelestus autem, antequam a patre nostro caperetur, olim cum rubrum taurum vulnera nigro tauro inflingentem vidisset, vaticinatus erat et dixerat: « Monachus me devincet ». Profecto pater noster Anorēwos, monachus, puritate indutus sicut Antonius, eum vicit! Cum scelestus ille se convertere renuisset, sanctus eum durissimis vinculis vinxit. Ira motus, scelestus exclamavit: « Vim quam acturus sum adspicite! » Et pestem in patris nostri filios attulit. Pater autem noster ob luem ad Creatorem suum deprecatus est, et pestis desiit. Hyaena denique scelestum cui erat nomen Budi, claudum, voravit; eum clamantem et eiulantem cepit et ei retributionem pependit. Haec omnia propter patris nostri preces
p. 96. acciderunt. *Quam mirabilis est fama patris nostri, facis, virginis et martyris, sanctorum monachorum genitoris! Nunc vero precibus suis sanctis nos omnibus temporibus omnibusque horis tueatur, in sempiternum. Amen.

Deinde, cum sanctus in suo coenobio esset, homo, cui erat nomen Pāwlos, ei legatum probrose misit: in speciem quidam erat monachus et nebura ed a rege electus, qui ecclesiam corrumpebat et fideles molestia afficiebat. *Per legatum* dixit: « Ad inspiciendam tuam agendi rationem venturus sum ». Haec legatus patri nostro rettulit. *Ea* cum audivisset, pater noster locutus est et dixit: « Peccatorem vidi: magnus et excelsus sicut Libani cedrus factus est, quapropter in Dominum superbivit [1] ». Scelestus ille in sua insolentia mortuus est. De eius obitu sanctum certiorem fecerunt, et sanctus dixit: « Cum ergo revertam eum non inveniam [1] ». Addidit: « Quomodo mortuus

[1] *Psalm.* XXXVI, 35.

est? » Ei responderunt: « Alienos deos cum coleret *mortuus est* ». Tum pater noster sanctus amarissime flevit et dixit: « Eius locum quaesivi et non inveni [1] ».

Olim, cum pater noster Anorēwos esset in ecclesiae platea, Libros moniales docens, incantatorum puer quidam, visu pulcherrimus, promissis cirritis capillis, ad eum venit: cum patre nostro collocutus est et dixit: « Mihi de spiritu dicendum est ». Tum ambo secesserunt, et *sanctus* peccata quae ille patraverat exploravit. Postea, homo iste patrem nostrum in solitudinem deduxit et quae incantamentis conficiebat ei ostendit: haec cum vidisset, sanctus contristatus est. In aedes suas eum introduxit, eius comam totondit, baptismate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti eum ditavit, eucharistiam ei dedit, eum in monachum elegit et in parvula domu clausit: circa tertiam diei horam, sanctus eum visitabat, et, quando iter agebat, patri nostro Ferē Menāṭos, filio suo, ut illum hortaretur mandabat. *Incantator* in omnibus agendi rationibus optimus fuit, et, paenitentia absoluta, mortuus est in pace.

Olim, Anorēwos, ad sacra peragenda pro more suo cum venisset, eucharisticum mysterium consecrare coepit. Cum pervenisset ad verba « panem sustulit », panis ille eucharisticus in puerum parvulum statim conversus est. Sanctus, rem videns, expavit *et tremuit: paullulum e suo loco recessit, oculos p. 97. ad caelum levavit, abundanter flevit, et puerum tangere ausus non est. Inde puer ille *evanuit et* calidus panis ut antea fuit. Sanctus autem flens panem illum, postquam benedixit, pro sacerdotali lege rupit, *ipse* accepit et sacerdotibus, diaconis, monachis *omnibus*que communionem accipiendi causa convenientibus praebuit. Hoc miraculum a patre nostro Anorēwos gestum audite! Nunc vero deprecationis suae virtute semper nos tueatur nobisque omnibus coniunctim benedicat, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Deinde, cum magnis laboribus sanctus defatigaretur, ecclesiam in Enda Gabṭan civitate, cui nomen est Enandābon [2], condere statuit. Illinc hariolas et sacrificulos expulit, coenobium magnum instituit, gregem auxit. Olim, cum iter faceret, im-

[1] *Psalm.* XXXVI, 36. — [2] Ms. aliis locis civitatem (seu gentem) Enandāban appellat: veram lectionem nescimus.

bres magnae, nigrae imbres cum nubibus obvenerunt, quas videntes discipuli patri nostro rettulerunt et dixerunt: « Imbres magnae adveniunt. Quo eamus? aedes in propinquo non inveniuntur ». Tum pater noster Anorēwos surrexit et, manibus extensis, suppliciter oravit: orienti et occidenti, septemtrioni et meridiei benedixit, et statim imbres destiterunt et sol usque ad vesperas incaluit: tunc pluviarum tempus erat. Pater noster domum rediit. Eius filii ei dixerunt: « Tuis precibus imbres destiterunt; nunc autem ut pluat ora, quaesumus ». Sanctus preces incepit, et illico, ictu oculi, imbres descenderunt. Videte! Pater noster Anorewos revera Eliae similis fuit; suis precibus imbres consistere, suis precibus *imbres* rursum descendere fecit.

Rursus, suis precibus facinus magnum in regione quadam gessit. Erant arbores, idolorum delubra; daemon in arborem ingressus per diem colloquebatur, atque eum colebant. Dicebat *vero daemon*: « Furem omniaque mala abominor », et flagellationem in furem decernebat, sicut Paulus ait [1]: « Satanas ut seducat angelo lucis similis fit ». Daemon ille *homines* suis verbis decipiebat. *At* sua voce clamavit: « Anorēwos me ex aedibus meis eripiet! » Eadem ter clamavit, et antequam pater noster sanctus adveniret egressus est.

p. 98. *Postea, paenitens quaedam ad eum olim venit et dixit ei: « Pater, paenitentiam propter res transactas da, quaeso ». Pater noster Anorēwos eam excepit, ei paenitentiam imposuit, baptismum contulit, et eam in monialem elegit: ipsa monachismi regulas secuta est, et obiit in gloria.

Rursus, fidelis quidam ceteris aliquid surripere solebat. Olim, messium tempore, quamquam spicas in arvis suis haberet, furtim triticum ex alienis agris avulsit. De eius furto in socii arvis spiritaliter certior factus, sanctus ad eum misit dicens: « Aliquas spicas ad me mitte, fili mi! » Et ille in ignominia spicas in socii arvis surreptas ad eum misit. Cum eas recepisset, sanctus domus tecto ut, fumo calefaciente, triticum fierent (*maturescerent*) suspendit. Sationis tempore, sanctus, domino arvorum vocato, ei dixit: « Ecce, fili mi! pro me triticum hoc semina quaeso ». Messis tempore, quattuor modii

[1] Cfr. II *Cor.*, XI, 14.

fuerunt. Rursum quattuor tritici modios seminaverunt, e quibus quadringentos et viginti modios receperunt. Tum, ambobus convocatis, nempe arvorum fure et arvorum defraudatorum domino, pacem inter ipsos composuit; furi paenitentiam imposuit, arvorum domino quadringentos et viginti tritici modios tradidit.

Nocte quadam, cum fur venisset et triticum e patris nostri Anorēwos aedibus surreptum sibi imponere non valeret, pater noster sanctus eum invenit et: « Quid agis? » inquit. Terrore pervasus fur: « Haec mihi imponere non valeo » respondit. Tum furi *sanctus triticum* imposuit atque ei dixit: « Festinanter discede, ne sancti te inveniant ». Videte, dilecti mei! Haec optima pater noster egit: nos autem si furem antequam nostra surripuerit assequemur, eum deprehendimus et verberamus! Pater vero noster ei onus imposuit eumque celeriter dimisit. Nunc vero, eius benedictio nobiscum sit. Amen.

Iterum, paralyticum quendam surgendi facultate destitutum, quem parentes deferebant et *secum* domum aut rus ducebant et reducebant, ad patrem nostrum Anorēwos detulerunt. Pater autem noster deprecatus est et ei sanitatem, Dei sui virtute, reddidit. Qui viderunt mirati sunt, qui audiverunt obstupuerunt, et *omnes* Dominum laudaverunt et patris nostri excellentiae obsequium praestiterunt. Paralyticus, qui surrexerat, orientem versus profectus est et admiratione plenus patris nostri benedicti miraculum praedicabat. Rursum, *pater noster Anorēwos, claudum ambulandi facultate destitutum, complicatis contortisque cruribus, et simul hydrope laborantem cum vidisset, ei benedixit; statim, claudus rectus factus est, cucurrit et occidentem versus, patris nostri Anorēwos virtutem praedicans, progressus est. p. 99.

Pater noster, agendi ratione praestantissimus, cum ista ageret, ossa patris nostri Takla Hāymānot transferre consilium sancti inierunt. Idcirco, sancti, eius fratres, ad ipsum *Anorēwos* miserunt dicentes: « Accede; patris nostri Takla Hāymānot ossa transferamus ». Surrexit sanctus et progressus est; ad patris sui sepulcrum pervenit, et cum fratribus suis sanctis convenit: se mutue amplexi sunt, de Domini magnitudine collocuti sunt, et de sancti Takla Hāymānot ossium translatione inter se consilium habuerunt. Re statuta, eius sepulcrum effoderunt et sancti patris sui ossa invenerunt. Pater noster Anorēwos, cum primus in sepulcrum ingressus esset, surgens, locutus est

atque fratribus suis dixit: « Quis me praecedit? nemo ante me, nemo post me est! » His dictis, ipse ad pedes, pater noster Filpos ad caput steterunt, et eorum patris ossa linteis involverunt. Pater noster Anorewos, tribus crucibus quae in sepulchro erant acceptis, unam patri nostro Filpos dedit, duas alias sibi servavit. Et patrem nostrum Takla Hāymānot cum honore et laudibus, acerrime flentes, transtulerunt novoque sepulcro condiderunt. Eius benedictio nobiscum sit. Amen.

Inde, pater noster Anorewos cum duobus illis patris nostri Takla Hāymānot crucibus miracula prodigiaque patravit. Ad sanctum coenobium suum reversus, diu in continentia, precibus et anachoretica vita mansit. Pestilens morbus, qui seviebat, patris nostri Anorewos guttur vitiavit; *sed* Domini voluntate *sanctus* sanitati redditus est. Eius lingua haesitans mansit. Paucos post dies *morbus* in eum surgebat et dolore eum afficiebat. Cum aegrotaret, arcana videbat, quae ei aperiebantur, nam thaumaturgus erat. Nunc vero suis precibus nos tueatur, per omnia saecula saeculorum. Amen.

p. 100. Multis diebus post quam ecclesiam *in Enandāban condiderat, anno quo pater noster sanctus in Enaḥāṇṭey, coenobio suo, habitabat, eum anceps morbus pressit. Filiis convocatis, ut eum in coenobio magno quod in Warab condiderat humarent praecepit. Morbus propter labores ciborumque abstinentiam gravissimus erat, ita ut ipse, quasi dysenteria infestaretur, morbo liquesceret. Inde, in gloria et in pace, die XVIII *mensis* maskarram mortuus est. Enāre'et incolae, baculis, arcubus, hastis et clypeis paratis, ut ibi eius corpus humarent turmatim convenerunt. Sed eius filii, qui in regione Warab habitabant, patris nostri corpus sanctissimum, lugentes et eiulantes, linteis involverunt et super lectum posuerunt. Tum nubes advenerunt atque Enāre'et incolas, ne sancti cadaver viderent, caligine obumbraverunt. At Warab incolae surrexerunt, et *corpus* tulerunt, sole ipsos calefaciente; eos vero Enāre'et incolae sequebantur, in caligine procedentes. Cum ad Warab fines, flumine magno cui est nomen Sātāl traiecto, pervenissent, subito nubes evanuerunt et lux facta est: Enāre'et incolae, patris nostri corpus cum adspexissent, in luctu regressi sunt. Warab autem incolae, *illud* deferentes, in coenobium magnum in civitatem Ṣegāgā ingressi sunt et *sanctum* cum pompa et laudibus humaverunt.

Tum fletus magnus et luctus et eiulatus propter eorum iucundissimi patris obitum fuerunt. Nos quidem, sicut illi, fletu ardentissimisque lacrimis ob patris nostri, solis, obitum fleamus. Cur margarita in terra est recondita? Nunc autem congregati propter Anorēwos patrem nostrum lugeamus dicentes omnes: « Cur pastor noster, capitum nostrorum diadema iucundissimum, collorum nostrorum aurea torques, digitorum nostrorum annulus sublimis, mortuus est? » Dilecti mei, fletum circa patrem nostrum Anorēwos excitemus, sicut Eliseus pro Elia, et Clemens pro obitu Petri, et Timotheus pro Paulo ingemuit. Sed num lugendo et flendo rursum margaritam nostram inventuri sumus? At vero eum suppliciter deprecemur! Eius precum virtus nobiscum sit, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Explicit spiritale certamen patris nostri Anorēwos, bellatoris, confessoris *et virginis, sacerdotis, meditatoris, Pentateuchi et p. 101. Evangelii interpretis. Pauca de magnis eius certaminis laboribus non scienter sed nostrae inscitiae causa breviter scripsimus; omnia eius facinora si exposuissemus, mens nobis defecisset. Haec vero non apte diximus. Si addidimus aut minuimus, nobis frustra maledicere nolite, sed benedicite. Nunc autem, qui ad patris vestri Anorēwos commemorationem celebrandam convenistis, Dominus vobiscum sit; prima noctis hora, vos gaudio afficiat; altera noctis hora, lumbis accinctis, vos convocet atque ad mensam procumbere faciat; tertia noctis hora, vos exornet vobisque aeternam vitam tribuat. Nec me servum vestrum a vobis separet, per omnia saecula saeculorum. Amen.

E patris nostri Anorēwos morte usque ad decimum regis nostri Ba'eda Mārʏām imperii annum, anni CIV [1]; usque ad septimum regis nostri Nā'od imperii annum, anni CXXVII [2] fuerunt.

Qērlos, magister communitatis Ṣegāgā [3], qui hunc certaminis librum scribi, Deo altissimo favente, iussit, ait: « Nolite in precibus vestris, quas suavissima lingua recitatis, oblivisci mei, ut uva benedictionis Takla Hāʏmānot fructus mihi afferat, per omnia saecula saeculorum. Amen.

[1] Haec in autographo fuisse puto. — [2] Haec ex apographo addita videntur. — [3] *Sic.* ms.

[MIRACULA SANCTI ANORĒWOS].

Patris nostri miraculum I. Eius preces et benedictio nobiscum sint! — Olim, post coenobii ruinam [1], leo qui quinque et viginti aliarum terrarum incolas necaverat, occurrit. Incolae omnes fugae se commendaverunt, neque illum interimere potuerunt. Postea, leo ad coenobium Ṣegagā pervenit. Omnes eum timuerunt, et dixerunt: « Hoc coenobium relinquamus, et fiat solitudo sicut antea erat! » Et dixerunt: « Vae nobis! quo abeundum est? quo nos ab hoc rapacissimo leone servabimus? Qui aedes sepibus occluderent ab eo non aufugient; qui arborem novem cubitos altam scanderent ille *eos* descendere faciet ». Consilio inito,
p. 102. monachi dixerunt: « Quomodo ab illo aufugiemus, *nisi per supplices preces? » Ecclesiam ingressi, septem dies supplices preces fecerunt. Unicuique autem pater noster Anorēwos in visione apparuit et dixit: « Metuere nolite, expavescere nolite! Vobis in aliam regionem recedere opus non est. Ego leonem hunc Domini virtute interficiam, et nonnisi hominem unum devorabit! Eum timere nolite; mox quae Dominus faciet videbitis, neque amplius quam dies quadraginta expectandum est ». Die quadam, ante noctis dimidium, cum monachi dormitarent, leo venit, hominum aedes tres destruxit et fortiter rugiit: magnus fuit per aedes clamor, *incolae* terrore repleti sunt neque e domo egredi audebant. Leo autem hominem e Qualman (?) egressum, quem in itinere invenit, interfecit; tum aufugit, ad Qualman (?) rediit et post quadraginta dies mortuus est, sicut pater noster Anorēwos in visione filiis suis praedixerat. Warab incolae universi obstupuerunt et dixerunt: « Patris nostri Anorēwos virtutem videte, qui leonem novem cubitos altum interfecit! Benedictus Dominus, qui facinus magnum pro patre nostro Anorēwos fecit, quemadmodum David in psalmo ait [2]: « Lupo et draconi insides, leonem et draconem conculcabis ». At ille draconem sine baculo vel gladio interficiebat; et leo, in speluncam regressus, quamvis eum venatores non persecuti sint, mortuus est. Patris nostri Anorēwos

[1] Monasterii Segāǧā ruina sive tempus sive auctores sive causas adhuc ignoramus. Fortasse, auctor sollummodo ad mortem sancti Anorēwos alludit. — [2] *Psalm.* xc, 18.

preces et benedictio nobiscum sint, per omnia saecula saeculorum. Amen.

II. Patris nostri Anorēwos miraculum. Eius preces et benedictio nobiscum sint, in sempiternum. — Audite, fratres mei, quae, coenobio deleto, acciderunt! Cum ad coenobium pauci monachi rediissent et fumigarent, pardus surrexit et homines interficere voluit. Quadam nocte tres monachorum aedes vastavit: at, monachis in ipsum conclamantibus, aufugit. Altera nocte, cum rediisset, domum vastavit et quinque capras voravit; die in eum illucescente, discessit. Tertia die, pardus, reversus, domus tectum fidit, ingressus est, et cum mulierem, quae filiam amplectebatur, invenisset, puellam necavit, ad solitudinem *suam p. 103. detulit et voravit; ea consumpta, ad domum ut matrem necaret rediit. At non repperit. Cum mulierem non repperiisset, eius stragulo invento, stragulum abstulit et hominis instar stravit: *in quo* iacens, inventus est. Quidam, illo adspecto, clamores edidit et dixit: « Pardus hic est! » Aliquot homines convenerunt et inter se collocuti sunt: « Quid agendum? Arma deficiunt, nos vero pauci et debiles sumus! Supplices preces oremus! » Et supplices preces, in genua provoluti et orantes, inceperunt, cum dicerent: « Domine, parce nobis, Christe ». His absolutis, ad pardum accesserunt: eum cum attigissent, baculis percusserunt, at denique hastis transfoderunt. *Pardus,* Domini voce et patris nostri Anorēwos precibus, mortuus est. Eum mensuraverunt: septem cubitos longus inventus est. Nec pardus hic vobis a pardo genitus videatur: bonorum autem osor erat: eum Dominus, ob preces patris nostri Anorēwos, interfecit. Postea, ferae omnes pavore plenae erant, et tranquillitas fuit. Patris nostri preces nobiscum omnibus sint, per omnia saecula saeculorum. Amen.

[III]. Post patris nostri Anorēwos obitum, sicut ex ore duorum vel trium testium colligentes audivimus, nunc rursum de patris nostri Anorēwos miraculis vos certiores faciemus. — Dixit monachus, qui in ecclesiae septo commorabatur: *at* monachus ille in spiritali certamine constantissimus erat, pedes suos spinis acutissimis vulnerabat, hominibus autem *spinas fortuito confixas* avellere videbatur: « Pater noster Anorēwos candidis vestibus amictus in spiritu ad me venit, atque ait: ‘ Nonne me agnovisti? pater tuus Anorēwos sum. Aliud alimentum ante

panem meum ne sumas; tibi pro eucharistia erit!' » Quemadmodum a patre nostro Anorewos iussus fuerat *monachus ille* agebat. Eius benedictio quasi vestis nos omnes, quibus anima est, in hoc sanctuario congregatos, involvat, et eius orationis praestantia nos ab inimico protegat et ab impuritate liberet. Amen.

[IV]. Miraculum patris nostri Anorēwos, collis turis. Eius memoriae fama apud fideles universos fragrantissima ut tus est. Eius benedictio super nos sit! — Audite, patres et fratres mei,
p. 104. miraculum novum *in gratiam praefecti patratum, qui in patris nostri Anorēwos precibus semper confisus erat! « Cum ego in vinculis essem, pater noster Anorēwos ad me venit et mihi dixit: 'Metuere noli, fili mi; hodie iudicandus es, et liberaberis et domum revertes'. Sicut pater noster Anorewos mihi dixerat, ita accidit. In praeliis quidem ipse mihi saepissime auxilium funiculo suo praebuit, et incolumis e certamine evasi ». Ita a bello osoris nos triumphanti sua virtute servet et in adversarium nostrum bellator sit, per omnia saecula saeculorum. Amen.

[V]. Miraculum patris nostri Anorēwos: eius deprecatio nobiscum sit, et nobis benedicet. Amen. — Rursum dixit: « Peste in civitatem grassante, multis consumptis, omnes aufugerunt. Ego unus, in eius precibus confidens, mansi. Mali spiritus domum meam invaserunt, quibus imperavi dicens: 'Propter Deum patris mei Anorēwos, e mea domu egredimini, ad me ne accedatis'. Me interrogantes: 'Cuius sis?' dixerunt. Et eis respondi: '*Sancti* Anorēwos'. Tum alter alteri dixerunt: 'Festina, ex eius domu egredere, nam nobis dixit: Ego *sum patris* Anorēwos'. Statim egressi sunt, et propter preces patris mei Anorēwos incolumis evasi ». Ita, propter preces patris nostri Anorēwos nos ab eo spiritaliter genitos *Dominus* salvos faciat e manibus inimici nostri omniumque nostrorum osorum et nos ingredientes egredientesque adspiciat (*tueatur*), per omnia saecula saeculorum. Amen.

[VI]. Miraculum patris nostri Anorēwos, lucis praedicatoris, multorum genitoris, iustorum diadematis, confessorum vincentium sectatoris. Eius benignitatis benedictio super nos sit. Amen. — Quae Nātnā'ēl pater noster ait, audite! Vir Dominum timens haec mihi rettulit: « Angelus me in urbem magnam deduxit;

ibi thronum sublime et tremendum vidi. Sub thronum illud aqua egrediebatur alba ante ipsum, post ipsum nigra. Super thronum vir admirabilis, canis capillis, imperiali mitra redimitus, candidis vestibus sole fulgentioribus indutus, sedebat. Cum eo erant Moyses et Aron et Zacharias; apud eum, rursum, viri multi, candidis ut pruina vestibus induti, laetantes, gaudentes et sicut *haedi lacte satiati exsilientes. Et angelus dixit mihi: p. 105. ' Nonne agnoscis? ' Et ego: ' Sane, o domine mi '. Ille dixit: ' Is Anorēwos pater tuus est: illi vero sunt eius filii, qui eius vestigia secuti sunt '. At dixi: ' Tantusne honor ei datus est? ' Et *sanctus* mihi respondit: ' Profecto. In hac nigra aqua lavantur, ex alba autem bibent. Haec eorum qui vestigia mea secuti sunt et Domini mei praecepta observaverunt, hereditas est in aeternum '. Haec mihi pater meus Anorēwos dixit ». Videte, dilecti mei, quanta Dominus in sanctos suos iustosque operatus est! Eos laetitia sua in suis aedibus donavit, suarum nuptiarum die ipsos ad mensam accumbere faciet. Nobis etiam suae gratiae copiam praebeat, cum veniet in sua gloria, magna maiestate, cum angelorum suorum decem milibus, et cum Patre et Spiritu Sancto in sua substantia, et cum Anorēwos suo sectatore, per omnia saecula saeculorum.

[VII]. Miraculum patris nostri Anorēwos, sacerdotis, labiis nostris vino iucundioris. Eius benedictio nobiscum omnibus sit, per omnia saecula saeculorum. Amen. — Miraculum patris nostri. Cum in ecclesia, eius commemorationis die, congregati essent, et eius discipuli omnes simul mirabiles laudes canerent et gratissimum tus obferrent, locustae innumerae ad provinciam pervenerunt. Eorum quidam dixit: « Agite; ex ecclesia arcam deferentes procedamus et provinciam nostram circumeamus ». Statim, ecclesia clausa, canticis tureque intermissis, egressi sunt, et haec, quae constituta non erant, quemadmodum ille *monachus* iusserat, perfecerunt. Dominus vero Moysi dixerat [1]: « Tabernaculum fac et in ipso arcam depone; ibi tibi erit cognitio ». Pestis cum supervenisset, Aronnis filii in tabernaculum ingressi sunt, ture veniam petierunt et Dominus iram sedavit. Similiter Salomoni: « Templum conde » inquit, et ille iussa exsecutus est: cum *illud* perfecisset, in ipsum in-

[1] Cfr. *Ex.*, XL, 23.

gressus, oravit, et: « O Domine Israëlis, inquit, si populus tuus peccatum commiserit, et si hostes bello eum aggressi sint, et *populus* venerit et in hoc templo gratiam petierit, eius preces exaudi quaeso, eius supplicationes ne despicias! » Et cum haec diceret deprecans in genua provolutus est, exten-
p 106 tis manibus; *tum Domini gloria hanc domum replevit. Hizchias quidem, cum Sennacherib eum probro afficeret, in domum Domini ingressus, deprecatus est dicens: « Vide, Domine, Sennacheribi convicium! » Et eius preces exaudivit eiusque hostes una nocte interemit. Illi autem *monachi* ignari ex ecclesia egressi sunt, et, cum montes ascenderent, diem egerunt. Tum pater noster Anorēwos indignatus est; apud coenobium suum, sub peregrini specie, cuidam apparuit et dixit: « Propter filios meos contristatus sum, nam commemorationem meam intermiserunt, et egressi sunt hymnos meos interrumpentes, tus meum negligentes, et obliti pacti quod Dominus mecum panxit, quoniam a pueritia in eius misericordia speravi! » Nunc autem eius commemorationem celebremus laudibus et psalmis, eleemosynis pro pauperibus, et *pauperes* docendo, ut ipse *olim* fecit: cum pauper peregrinando (?) ad eum venisset [2], ei panem suum et suam cerevisiam, indumentum suum et suum triticum, sacco imposito, tradidit ipsumque honorifice domum remisit, caelorum regni memor, et de anima magis quam de corpore sollicitus. Hunc ad modum apud Dominum benevolentiam genuflectionibus et psalmis quaeramus. Ipse scientiae spiritum in cordibus nostris infundat, et pacem amoremque suum nobis praebeat, per omnia saecula saëculorum. Amen.

[VIII]. Miraculum patris nostri Anorēwos, lampadis legis ecclesiae, fluminis Librorum semper fluentis, quem malitia peccatorum mundi nunquam attigit: qui pacem gratiamque nobis filiis suis praebere valet: nos in anima et in corpore tueatur, per omnia saecula saeculorum. Amen. — Audite! Vobis enarrabimus, fratres nostri! Duo fratres ex urbe quadam venerunt, inter se colloquentes: « Tutelae precum Anorēwos nos committamus! » In domum abbatis ingressi, ei dixerunt: « Hic manebimus, ad te venimus! » Eos cum recepisset, abbas laetus secum manere fecit et dixit eis: « Agite: monachalem vestem

[1] Cfr. *Ex.*, XXV, 21-22. — [2] Cfr. supra pag. 79-80.

suscipite ». Unus eorum dixit: « Ego vero non possum ». Tum pater noster Anorēwos ad hunc in nocturna visione venit; spiritali equo insidens candidisque vestibus amictus ei apparuit et eum interrogavit: « Cur monachum fieri recusas? » Et ei sua manu cum benedixisset: « Recusare noli! » inquit. *Statim p. 107. vir monachus factus est, et propter preces patris nostri Anorēwos monachus electissimus fuit. Ita, nobis pulcherrima exhibeat, in sempiternum.

[IX]. Miraculum patris nostri Anorēwos: eius preces et benedictio nobiscum sint. — Audite, fratres mei, miraculum a patre nostro Anorēwos patratum in gratiam hominis, qui, cum pedibus aegrotaret, ad eius aedes olim venit; et dixit: « Tutelae precum Anorēwos me committo! » *Pedes* in salutari aqua abluit, et illico sanatus est, et laetans domum rediit. Hunc ad modum nos gaudio afficiat et gratiae suae participes reddat: coram eo favorem inveniamus, et nos faciat socios suos. Amen.

[X]. Miraculum patris nostris Anorēwos: eius preces et benedictio nobiscum sint. — Audite, fratres mei! Patris nostri Anorēwos agrum quem filii colebant vir quidam usurpaverat. Ager autem aestus causa sterilis factus est, sed huius agri finitima arva ob preces patris nostri Anorēwos, in quo confidebant, servata sunt. Ita filios suos a rapinis oppressionibusque servet, Christi crucis virtute adversarios nostros confringat, et nos extra et intus sanctos reddat. Amen.

[XI]. Miraculum patris nostri Anorēwos: eius preces et benedictio nobiscum sint. Amen. — Audite, fratres mei, miraculum patratum circa hominem, qui sancti vestem abstulerat! Pater noster Anorēwos ei dixit: « Vestem meam quam cepisti mihi redde! » Negavit homo et retributione mala donatus est. Dominus Deus patri nostro Anorēwos miraculum concessit, fructus enim sanctissimus *ille* erat. Videte, dilecti mei, eum cui a sinu matris Dominus, sicut Iohanni virgini et sancto benedixerat! Quot miracula patris nostri Anorēwos referam? Qui rem optatam invenire quaerit, pro more, ad coenobium nostrum veniat! Voce sua sanctissima sanet vulnera nostra et corpus animamque nostram tueatur, per omnia saecula saeculorum.

[XII]. Miraculum patris nostris Anorēwos: eius preces et benedictio nobiscum sint. Amen. — Ecclesia Mariae dicata erat,

et in ea arca patri nostro Anorêwos sacrata. Presbyter, magni sacerdotis filius, in precibus patris nostri Anorewos confisus, et
p. 108. eius festum celebrare solitus, civibus dixit: « *Agite: eius festum celebremus! » At cives renuerunt, et rus ad operas egressi arare coeperunt. Subito uniuscuiusque iugum aratrumque fracta sunt et lora dirupta: nova lora cum attulissent, iterum et tertio rupta sunt. Tum, id miraculum patris nostri Anorêwos esse cognoverunt. Aratores illi septem erant. Tum, ob patris nostri Anorêwos miraculum obstupescentes, domum regressi sunt et sacerdoti dixerunt: « Id miraculum vidimus. Quae dixisti *facere* recusavimus et rus egressi sumus, et ecce prodigium vidimus et ignominia affecti redimus ». Deinceps, quemadmodum homo ille fecerat, *et ipsi agricolae* festum sancti usque ad mortem celebraverunt. Nos autem commemorationem patris nostri celebremus, filiis coenobii eius convocatis, ut secum ad mensam nos procumbere faciat, et nos ingredientes egredientesque tueatur, per omnia saecula saeculorum. Amen.

[XIII]. Miraculum patris nostri Anorêwos: eius preces et benedictio nobiscum sint. Amen. — Quidam, multis abhinc diebus morbo correptus, ad coenobium patris nostri Anorêwos e loco quem antea memoravimus venit, et dixit: « Precibus patris nostri Anorêwos me committo! me in salutari aqua immergite! » Et illum per quadraginta dies immerserunt. Tum, propter patris nostri Anorêwos preces sanatus est votumque vovit, dicens: « Triticum ab hac die dabo, atque patris mei Anorêwos festum celebrabo ». Et laetus domum rediit. Ita nos gaudio afficiat, hostes osoresque nostros suo auxilio devincat, per omnia saecula saeculorum. Amen. Nos ad eum venerandum natos in hoc coenobio, sua domu, virtute deprecationis suae tueatur: hostibus nostris, exilium nostrum clamore petentibus, ob Filii crucifixionem debita irroget. Eius splendoris pulchritudo est sicut *splendor* Thomae, et eius iter sicut Elenae *iter*. Talis est Anorêwos pater noster. Nos ad mensam in sua hereditate procumbere faciat, per omnia saecula saeculorum. Amen.

[XIV]. Miraculum patris nostri Anorêwos, agendi ratione praestantissimi, Evangelii funibus vincti: tutelam nostram adversus hostes suscipiat, per omnia saecula saeculorum. Amen. — Duae moniales Domino famulabantur ieiuniis et precibus et virginitatis constantia *quam* velut sacrificium Domino *ser-*

cabant. Multos post dies, *Satanas monialem natu minorem in p. 109.
scortationis cogitationes induxit. E viro quodam cum concepisset, sorori dixit: « O soror mea, in peccatum incidi. Quid faciam? si sancti noverint, timore confundar ». Et ei *soror* dixit: « Soror mea, tristari noli: Dominum eiusque matrem Virginem Mariam deprecemur ». Ei respondit: « O soror mea, me quidem Dominus dereliquit: tu vero eum pro me deprecare, quaeso ». Dominum pro sorore deprecata est dicens: « O Domine, sororis meae peccatum dimitte! » Olim, cum ardentissimo corde, extensis manibus, oraret, pater noster, lucis pallio septies quam sol aut luna fulgentiori amictus, ad eam venit et dixit ei: « Quid tibi accidit, filia mea? Cur aegro animo es? » Illa ei: « Ob sororis meae peccatum fleo et lugeo ». Ille respondit ei: « Ob eam autem moestam esse noli: ipse ut eam solatio gaudioque afficerem missus sum ». Statim infantem ab eius utero extraxit et ad caelum detulit: eius venter vacuus mansit. Et dixit: « Iterum abhinc peccare noli! quae antea fecisti tibi remisit Dominus ». Et statim menstrua apparuerunt. Illa laetata est, sorori rettulit et dixit: « Laetare, soror mea! Pater noster Anorēwos, ad me venit, infantem ab utero meo extraxit et in caelum detulit! » *Soror* ei dixit: « Ego quoque eum vidi, soror mea; ab hac autem die, cave ne iterum pecces ». Audite, fratres mei, quae iterum pater noster Anorēwos in gratiam huius mulieris operatus est! Inde, iterum sicut antea peccavit; et lacrimas effundens, patrem nostrum Anorēwos deprecata est. Postea, *pater noster*, crucem sole fulgentiorem tenens, ad eam accessit « Me cruce illa signavit, et statim, *ait mulier*, ut virgo fui; et mihi dixit: ‘ Post haec rursum ne pecces ’ ». Postea, *mulier illa* in iustitia vitam totam egit et mortua est in pace. Dominus patri nostro victoriam in immundos daemones dedit. Eius preces et benedictio nobiscum sint per omnia saecula saeculorum.

[XV]. Miraculum patris nostri Anorēwos, qui fuit fidei petra sicut Petrus. Cum esset coram rege, martyrium ob Christi amorem exoptavit. — Audite, fratres mei, quae pater noster Anorēwos, deprecationis suae virtute, operatus est! Monachus e terra Dāmot ad eius sepulcrum cum pervenisset, pulverem suscepit et profectus est. Cum incederet *iuxta aedes mulieris p. 110.
cuiusdam, *mulier* ei dixit: « Tuae salutaris aquae aliquantulum

mihi da, quaeso! » Et ille dixit ei: « *Aquam* non habeo ». At mulier: « Mihi denegare noli; in patris tui Anorewos precibus spem commisi, quoniam filia mea in partu laborat, diu noctuque iam a septem diebus eiulat et clamat ». Dixit ei monachus: « Pulveris paullulum habeo », et ei aliquantulum tradidit. Mulier ad locum filiae suae, ut pulverem a viro receptum ei daret, festinans properavit. Ibi pervenit, et *pulverem* filiae dedit; *illa in potu* bibit et Domini voluntate necnon patris nostri Anorewos precibus peperit. Eius preces et benedictio nobiscum omnibus sint, per omnia saecula saeculorum. Amen.

III

GADLA ARON

SEU

ACTA SANCTI AARONIS

EDIDIT

BORYSSUS TURAIEV.

Aaron Mirabilis (« thaumaturgus » vel m a n k e r ā w i), monasterii Dabra-Dārēt (vel Dārit) vel Dabra-Farān, ut videtur in Begameder, fundator, tempore « persecutionis » a regibus Amda-Ṣyon et Sayfa-Ar'ad excitatae vixit. Sancti Baṣalota-Mikā'ēl discipulus fuit, sed, res satis mira, in vita magistri sui ipsius mentio non occurrit.

Vita Aaronis, ab Iohanne monacho, quodam e successoribus eius, « e vetere volumine », ut narratur, transcripta, ex uno tantum codice, haud accurate saec. XVIII scripto, nempe Orient. 693 Musaei Britannici (WRIGHT, *Catal.*, p. 179) innotuit. Exhibet versionem quartam historiae de monachorum cum regibus impiis disputationibus et persecutione; in ea tamen passim de Aarone eadem traduntur, quae de Philippo, de Honorio, de Baṣalota-Mikā'ēl in vitis eorum narrantur.

Plura de Aarone et de quattuor historiae « persecutionis » versionibus, vide in libro meo, moscovita lingua scripto, inscripto: *De fontibus historiae Aethiopiae hagiologicis dissertatio*, pp. 130-154, necnon in periodico cui titulus Βυζαντινὰ χρονικά, vol. XII, pp. 174-177.

Accedunt scripta varia, in eodem codice vitae addita; nempe: *a*) sanctorum cum veterum, tum etiam aethiopicorum invocatio, a quodam Sarṣa Wangel [1] conscripta; *b*) vita abbatis Iyʾasu, monachi Daretensis, concise narrata; *c*) versio altera historiae monasterii Daretensis post Aaronis obitum et de ossibus sanctorum narrationis; *d*) hymnus in honorem Aaronis in quo, more Aethiopum, singula membra corporis commemorantur, et quem « effigiem » (m a l k eʾ) vocant. Quae omnia ordine suo in lucem proferimus.

B. T.

Peinopoli ad Narvam, a. d. XIII Cal. Augustas, A. D. MDCCCCVII, die S. Elisae prophetae.

---

[1] Sic legendum; non autem Saraqa-Berqan, ut in praefatione ad textum lapsu edidimus.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

ACTA SANCTI AARONIS.

In nomine Sanctae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus sancti, p. 113.
|unius Dei,
quae non augetur neque dividitur, unica est potestate et potentia,
cui non praeiverunt tempus aut computus, aut anni et dies.
Quae procreavit et stabilivit totum mundum sine labore aut
|fatigatione, uno verbo.
Quae extendit caelum sicut pellem [1] sine columna aut paxillis,
et spissavit terram super aquas [2], ne commoveretur [3].
Quae fecit angelos suos calamo ignis flammae [4] et r u h é [5] levi,
sicut vultus in speculo (?). Quae orbem assignavit circuitui
[lunae et lucem solis splendentis,
et instituit eis stellas lucidas, quae non recedentes ducerent ea,
et instituit non vi coactus (?) annorum quadrantes et diei partes
|sexagesimas, faciendo fenestras, quarum ambitus occasus
[et ortus sunt; [6]
quae numerat stellas in plenitudine earum et cuicunque earum
[nomen vocat [7] cum diceret: « illa », « illa ».
Et creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam.
Pondere sapientiae libravit mundum et spithama metita est
|caelum. Magna est virtus eius et mirabilis sapientia eius
[et inenarrabilis magnificentia eius.
Non habet caelum super se, quod intelligit ubi sit Deus sanctus
[et fortis.
Thronus regni eius et tabernaculum eius exstructa sunt in
[excelsis r à m ā [8] Bethel [9]
fundata in lapidibus carbunculis et camerata e trabibus igneis
[et nive lucenti.
Solium dignitatis eius est lapis alabastrites [10], ponderata et ex-
|tensa super capita quattuor Cherubim.
Currus eius est terribilis et tremendus, sicut copiae militares.
|In medio earum (?) constitutus est

[1] *Ps.* CIII (CIV), 2. — [2] Cfr. *Ps.* CXXXV (CXXXVI), 6. — [3] Cfr. *Ps.* XCII (XCIII), 1. — [4] Non intellego. E *Ps.* CIII (CIV), 45 corruptum videtur. — [5] Spiritus = רוּחַ? — [6] Cfr. HENOCH, cap. LXXII. — [7] Cfr. *Ps.* CXLVI (CXLVII), 4. — [8] Nomen caeli tertii Aethiopibus. — [9] *Sic!* Cfr. MATTH., II, 16-18. — [10] HENOCH, XVIII, 8.

in quo est spiritus vitae et qui nominatur Gérgél [1].

p. 114. *Exeunt ex eo tonitrus et fulmina, et fragor vehemens, et terrae
[motus inundationem procurans.
Ante eum mare album sicut nix extensum est, ut dixit aquila
[Evangelii [2].
Et agitantur in eo sicut pisces scintillae fulguris et balaenae
[tonitrus crepat et clamat in medio *eius*.
Circumstant thronum eius mille et myriades milium colum-
[barum et myriades, potestates et virtutes,
clamantes et vociferantes, cum dicerent:
« Sanctus, sanctus, sanctus es Deus altissimus,
pleni sunt caeli et terra sanctificatione gloriae tuae inexhaustae ».
Contemplari faciem eius, quae est m e l o s non possunt domini
[Michael et Gabriel,
quia absconditus est ipse, et nube velatus, (in) solitudine tene-
brarum et [flammae,
non creatus neque factus, Pater, Filius, Spiritus sanctus, ornatus
[salutis nostrae, filum quod non rumpitur.
« Initium generationis eius ab hoc, et usque ad hoc reliquum
[eius » inenarrabile est dictu
et ignotum computui sapientium et mente Cherubim et Sera-
[phim non comprehensum.
Ipse se ipsum cognoscit Adonai Elsâdâi Emmanuel,
rex longanimus et manifestus, vindex
acutissimus, sicut fulmen; ensis irae eius acutus est
in eum, qui iurat in nomine eius vivo mendaciter, et comebet
[gladius eius corpora eorum qui deos alienos colunt et in
[hariolatione ambulant.
Nos autem gloriabimur de Deo dicentes:
« Quis Deus magnus sicut Deus noster [3], qui potest *facere* si-
[cut vult et sicut cogitat,
qui plantat et eradicat, honorat et ignominia afficit, vivificat
[et mortificat, pauperem facit et ditat,
morbo afficit et sanat, prosternit et sublevat [4], esurire facit et
[satiat, siti afficit et rore recreat,
p. 115 *constituit in munere et abrogat, castigat et miseretur,

[1] Cfr. Ezech., i, 20; x, 13. — [2] Cfr. *Apoc.*, iv, 6. — [3] *Ps.* lxxvi (lxxvii), 13. — [4] Cfr. I *Reg.* (Samuel), ii, 6-7.

iustum declarat dictum misericordiae eius sursum trahendo,
[et pessum dantur neglecta ab eo.
Maxime autem gaudeamus ob eum qui sedet in dextris Patris
[sui, cuius vestitus est corpus nostrum, Iesum Christum,
fructum uteri Mariae Virginis, [gāmēl,
qui accepit ab ea, novum azymum, non depstum neque fermen-
[tatum in fictili generationis semine viri corporalis.
In eum credimus et ad eum confugimus et in eum speramus,
et non repudiabit neque despiciet nos, pretium sanguinis sui,
Non dividet cum diabolo defraudatore, [ne pereamus.
sed comparabit sibi soli captivitatem, quam emit se ipsum sa-
[crificando, et sursum duxit ex inferno,
ne inanis esset labor eius et defatigatio eius et conviciator
[eius dolosus (?),
neque essent incassum clavi manuum et pedum eius et per-
[cussio capitis eius et exspuitio salivae improborum in fa-
[ciem eius, cum ignominia afficeretur.
Horum memor, remittat nobis peccata et errata et delicta nostra,
[et ignoscat nobis, et sit benedictum nomen Domini Dei
in saecula saeculorum. Amen [Israel

Videte, fratres nostri, stellas, caeli ornamentum et Ecclesiae ornatum, certamina martyrum et iustorum monachorum, qui in vita laudibus et precibus eam adornant, et post obitum in ea memoria (?) ossium eorum lucet, sicut sol, et ab anno in annum effertur et odores exhalat, sicut aroma, cuius ad odorem suavem reges et principes accurrunt et salutant eam cum ture puro et vestibus tenuibus. Ecclesia autem gaudet, et laetatur iis quovis mane *in* laudibus, portans ossa eorum sicut gemmas, nam illa propter eos permanet Sion nova, testis veritatis, et in ea faciem misericordis Creatoris sui inveniebant et capiebant partem suavitatis corporis et sanguinis eius qui ad certandum illos fortes et constantes reddiderat. Et *intrabat p. 116.
odor eius suavis in corda eorum, et mentem iis iniiciebat, ut dicerent: « Oportet nos animas et corpora nostra afflictionibus tradere, ut nanciscamur amorem Christi Domini nostri, qui primus nos dilexit et semet ipsum dedit redemptionem pro peccatis nostris ». Quam ob causam certaverunt in ieiunio et precibus, in frigore et nuditate, et ad instar rotae se prosternendo,

donec tabuit sicut aranea [1] corpus eorum et lingua eorum adhaesit faucibus eorum, et aruit, *tamquam* testa virtus eorum [2], et caligaverunt oculi eorum, et exarserunt sicut foenum tectorum [3] ossa eorum fame et siti, et dissoluta sunt omnia membra eorum, dum exspectant coronae laudis a Deo, defluente in segetem eius [4] rivo, qui colligat eos. Rivus sunt aqua et sanguis, qui e latere eius die nuptiarum eius fluxerunt. segetes autem sunt hi filii regni, iusti, electi, montes excavati [5], patres nostri monachi, quorum varia sunt certamina laborum, varii odores aromatum sacerdotii, varii florum adspectus. Quomodo stellae in facie caeli et pulchritudo florum in terra, sic aspectus iustitiae et aroma praestantiae patrum nostrorum iustorum et martyrum, qui nati sunt (in) veritate pro patribus nostris [6] huic sponsae pulchrae [7], filiae regis Hasebon in fimbriis aureis circumamictae varietatibus, quae adstitit cum iis a dextris [8], cum iis [9], ut offerret florem aromatum sacerdotii eorum in testimonium sacerdotii eius; ut offerret laudationes precum eorum ad glorificationem divinitatis eius; ut daret dono aurum electum et argentum purgatum et gemmam fulgentem magnificentiae regni eius; ut traderet initiando milia agnorum et boum opimorum, turturum et columbarum, nam Altissimus et terribilis est; ut monstraret pocula plena, quibus exhaustus est fons lacrimarum eorum et sudoris exiliorum eorum et effusionis sanguinis eorum, qui est additamentum sanguinis eius ad pretium sanguinis eius gentes; et offeret vestes puras fructus fidei eorum ad divitias gloriae eius [10], et induet vestem nuptialem, amictum iustitiae eorum, et portabit manibus suis diptychos nominum eorum, et stabit testis pro iis a dextris Patris lucens, sicut
p. 117. *candelabrum (?), quoad ceperint coram illa... [11]

Preces et benedictio, et donum gratiae, et imago impressa faciei, et virtus salvationis martyrum et iustorum sit super Iohannem in saecula saeculorum. Amen.

Hic est liber certaminis laborum patris nostri Aaronis mirabilis [12], *qui narrat*, quomodo elegerit Deus Dārit [13], mon-

[1] *Ps.* XXXVIII (XXXIX), 11. — [2] *Ps.* XXI (XXII), 15. — [3] Cfr. *Ps.* CXXVIII (CXXIX), 6. — [4] Scil. Ecclesiae. — [5] I. q. *Cantic.*, VIII, 14: « montes aromatum » (Vulg.). — [6] Cfr. *Ps.* XLIV (XLV), 16. — [7] Scil. Ecclesiae. — [8] Cfr. *Ps.* XLIV (XLV), 13, 14, 9. — [9] Sic! Dittographia esse videtur. — [10] Cfr. *Rom.*, IX, 23. — [11] Aliquid desideratur. — [12] Vel thaumaturgi. — [13] Nomen monasterii, modo Dabra Dārit, modo D. Dārēt scriptum.

tem sanctum et pinguem [1], versus solem positum, paradiso Eden similem, quem stabilivit Altissimus et in quo plantavit omnes arbores pulchras aspectu, et dulces ad edendum, et suaves ad odorandum, inter quas sunt quae habent rubram stirpem et virides ramos et fructus albidos, et arbor vitae quae cognoscere facit bonum et malum quattuor [2] (?), sicut in paradiso. Et constituit ibi regem Adam, ut operaretur in eo et e fructibus eius comederet. Paradisus est Ecclesia, et qui regnat in illa Adae loco est pater noster Petrus, princeps Apostolorum, et successor Petri pater noster Aaron mirabilis, caput Dabra Dārit et lumen Dabra Dārit. Qui plantati sunt in illa arbores pulchrae, ligna excelsa apud paradisum eius, in quo operabatur. Hi sunt: Antonius et Damianus, Gabra-Nāzra'is, Iohannes Kamā, Andreas et Iyāsu, Samro-Le'ul et Zēnā-Mārqos et Habta-Māryām. Rami autem eius sunt sicut arena quae est in littore maris et sicut ligna et herba campi, ut dixit propheta: « Iustus ut palma florebit; sicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt, adhuc multiplicabuntur in senecta uberi: et bene patientes erunt [3] ». Vere patientes sunt in hoc sanctuario congregati multi iusti, sicut pisces in mari Nāgēb [4] pleno. Sic et ossa sanctorum in media huius sanctuarii parte, qui convocati sunt cornu praedicationis eius, cum audivissent cymbala nuncii Aaronis mirabilis, quae miseratione permovent cor sicut nablium ad audiendum, et dulcia sunt sicut mel purum.

Qui geniti sunt ab eo schemate et qui advenerunt e Tegrāy *cum abbate Stephano diebus pestis, ut in morte cum filiis p. 118.
Aaronis mirabilis consociarentur, erant quasi mille *viri*. Et consumpti sunt et obierunt. Defuit qui sepeliret eos, sanctuarium autem non potuit comprehendere eos, sed factus est acervus corporum eorum. Et nunciatum est metropolitae abbati Bartholomaeo, qui, re audita, dixit: « Quale est sanctuarium vestrum et quomodo se habent corpora martyrum, qui praetulerunt mortem propter suavitatem amoris Aaronis mirabilis? » Et narraverunt ei omnia de miraculis et omnia de sanctuario eiusque portis. Dixit iis: « Quo loco est sepulchrum Aaronis

[1] *Ps.* LXVII (LXVIII), 15. — [2] Omissa in cod. videtur de fluviis paradisi narratio. — [3] *Ps.* XCI (XCII), 12-14. — [4] Cfr. ESDR. IV, 54, 58, aethiop.

mirabilis? » Responderunt ei: « In scrinio, in medio altaris sacrificii ». Et iussit eos efferre scrinium Aaronis mirabilis et dixit iis: « Excavate vobis sanctuarium ad dextram prioris et ponite in eo praeceptorem legis mirabilem; illud vero pristinum sanctuarium, in quo coacervata sunt corpora martyrum, claudite, ne intret pes hominis *in illud* neque videat thesauros Dei, qui pluris quam aurum aut argentum aut gemmae topazi et sapphiri aestimandi sunt ». Et fecerunt sicut iussi erant a metropolita, et excavaverunt hoc sanctuarium, et attulerunt in id scrinium corporis mirabilis Aaronis cum honore et laude, et posuerunt suum tabot super eius sepulchrum usque ad nunc et usque ad hunc diem. Itaque factus est hortus pinguis, qui fert amygdala et mandragoras, stacte et unguentum, vina suaviter odorantia, calamos aromaticos, cinammomum florens. Dissipavit haec ventus precationum patris nostri Aaronis et fecit ea in brevi multos fructus ad instar palmae ferre. Preces eorum sint nobis redemptioni peccatorum nostrorum in saecula saeculorum. Amen.

Eructavit cor meum verbum bonum [1], plectrum Spiritus sancti pulsabit chordas citharae eius, resonabit in ore meo nuncius praestantiae et sonus suavis precationis et certamen laborum Aaronis mirabilis, arboris cedri excelsae, cuius summum cacumen tangit caelum et cuius radices sunt infra abyssum, qui extendit palmites suos usque ad mare [2] et cuius folium non defluet [3], praeceptoris legis praestantis, qui gloria-
p. 119. batur in Domino et sperabat in Deum Israel, pugnatoris *pro fide et cantoris, silentio carentis, sicut angeli. In illo fruges tulit et multiplicatum est psalterium Davidis, ut ipse dixit: « Septies in die laudem dixi tibi [4] ». Non dabat somnum oculis suis et palpebris suis dormitationem [5], donec ad finem perduxit centum et quinquaginta psalmos Davidis et Cantica prophetarum et Canticum Salomonis et Laudes Mariae et Portas Lucis septies die et septies nocte. Et prosternebat se sicut rota in terram, et oculos suos ad caelum elevabat, et aquam lacrimarum suarum coram Deo profundebat, et percutiebat tergum suum funiculo e duodecim nervis, quo sancti se flagellabant. Et pul-

[1] *Ps.* XLIV (XLV), 1. — [2] *Ps.* LXXIX (LXXX), 11. — [3] *Ps.* I, 3. — [4] *Ps.* CXVIII (CXIX), 164. — [5] *Ps.* CXXXI (CXXXII), 4.

sabat pectus suum et vociferabatur ad Deum, cum diceret verbo psaltis e psalterio: « Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat. Non avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam [1], nam multi insurgunt adversum me [2]. Eripe me de inimicis meis, Domine [3]: properat enim os mortis, ut me abducat. Adiutor meus et liberator meus es tu, Domine [4], Deus meus, non confundas me ab exspectatione mea [5]. Consilium inierunt contra me, noli me derelinquere, ne glorientur propter me. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi [6], Domine, Deus meus. Domine, Deus meus et Domine, rex meus, panis diei mei et calix vitae meae, spiritus oris mei, liquor salivae meae, lux oculorum meorum, fortitudo verticis mei, calor (?) vestimenti mei, sermo vocis meae, prudentia cogitationis meae. Adhaesi testimoniis tuis, Domine, noli me confundere [7]. Adhaesit anima mea tibi: adspice in animam meam et salvam eam fac. Pono lacrimas meas ante te, sicut iussisti. Tibi sacrificabo hostiam laudis [8]. Intret deprecatio mea in conspectu tuo [9] in templum sanctuarii tui. Approba, Domine, vocem oris mei [10]. Iter meum et gressus meos dirige secundum eloquium tuum [11] ».

Rectum erat iter Aaronis mirabilis, facientis virtutes
aṯnān [12], militis fortis et validi
adversus copias inimicorum, cuius calcei et arma est Evan-
arcus eius et hasta est crux, [gelium,
*cingulum lumborum eius et gladius in manibus eius acutus p. 12
est fides Trinitatis indivisae; [cognitio in dicendo.
cibus eius est precatio et corona capitis eius est sapientia et
Et rota currus eius est amor Mariae Virginis.
Erat palma fidei, ramis ornata, frugibus abundans,
et archipresbyter magnus secundum ordinem Melchisedech [13],
qui remittit delicta peccatoribus aspersione sanguinis Christi
Ille est homo peregre proficiscens, [magistri.
cui sunt quinque talenta aurea [iustitiae,
et qui obtulit cum lucro suo alias quindecim minas [14] regi

[1] *Ps.* CI (CII), 1-2. — [2] *Ps.* III, 1. — [3] *Ps.* LVIII (LIX), 1. — [4] *Ps.* LXIX (LXX), 5. — [5] *Ps.* CXVIII (CXIX), 116. — [6] *Ps.* LXXIII (LXXIV), 19. — [7] *Ps.* CXVIII (CXIX), 31. — [8] *Ps.* CXV, 8 (CXVI, 17). — [9] *Ps.* CXVIII (CXIX), 170. [10] *Ibid.*, 108. — [11] *Ibid.*, 133. — [12] I *Reg.*, XIV, 48, *ἀνάκ*. V. DILLMANN, *Lex.*, 1236. — [13] *Ps.* CIX (CX), 4. — [14] *Sic!*

servus bonus et procurator sapiens, quem constituit dominus
[suus super omnem familiam et possessionem suam [1],
ut daret cibum hominibus domus suae.
Apostolus et fidelis eius, qui eum misit,
adulationis expers,
iustitiam coram rege, sine mendacio praedicans.
Benedictio precis mirabilis Aaronis,
hominis pacis meae, in quo spero [2]. [nacharum abstinentium
et benedictio quadringentorum monachorum et trecentarum mo-
qui, cum patre suo mirabili Aarone condemnati,
tentationes exsilii,
sudore, defatigatione, fame, siti, frigore, nuditate perpessi sunt,
et benedictio magistrorum praepositorum,
et preces martyrum in hoc monasterio *defunctorum*
et omnium iustorum et sacerdotum electorum,
in bonis operibus perseverantium et peccato mortuorum,
qui recumbunt (?) in sepulchro Aaronis mirabilis,
sicut lunae ornatae inter stellas lucentes,
precationes eorum sint nobiscum et iustificent nos peccatores.
Et inveniat spem vitae Iohannes, praeceptor legis in mona-
[sterio sepulchri ossium eorum,
ne sit minor sociorum suorum praepositorum,
p. 121. quorum *virtuti precum confidens,
librum huius testamenti scribendum curavit,
ut e manu Satanae et daemonum eius malignorum salvaretur,
in saecula saeculorum. Amen.

Auscultate, patres et fratres nostri, locum nativitatis patris nostri Aaronis mirabilis esse in civitate Gabyā, et Sagūāda nominari. Erat in illa vir bonus, nomine Gabra-Masqal, Deum timens, qui dabat eleemosynam pauperibus et egenis. Erat ei uxor, Amata-Māryām nomine. Ambo erant in iustis faciendis consentientes. Et non erant illis liberi, quam ob causam ad Deum precabantur, ut daret illis fructum benedictum, Deo gratum et hominibus acceptum. Et vidit Deus fidem eorum, et concepit Amata-Māryām, et peperit filium, cui dedit nomen Faraday, cum diceret: « Iudicavit me Deus et dedit mihi *secundum*

[1] Cfr. MATTH., XXIV, 45. — [2] *Ps.* XL (XLI), 9.

precationem meam, qua oraveram eum ». Et postquam impleti sunt dies purgationis [1], tulerunt parvulum ad ecclesiam, ut baptizaretur lege Christianorum. Et vocavit sacerdos nomen eius Aaron, sicut inspiraverat ei Spiritus sanctus. Et crevit parvulus et iuvenis factus est, cum Angelus Dei eum tueretur. Et misit Gabra-Masqal Aaronem, filium suum, ad sacerdotem, Gabra-Masiḫ nomine, in iustis faciendis perfectum et verbi Scripturae peritum. Et rogavit Gabra-Masqal abbatem Gabra-Masiḫ et dixit ei: « Scis omnem sollicitudinem et aerumnas, comprimentes in me ossa mea, cum prolis in terra expers essem. Ecce spes cordis mei, coena et prandium oculorum meorum, mihi a Deo propter precationem tuam data. Ecce voveo illum Deo, ut serviat et famuletur in domo Domini omnibus diebus vitae suae. Tu autem doce eum verbum Scripturae et Psalterium Davidis, ut sit tibi filius in Spiritu sancto et aspersione aquae ». *Accepit Gabra-Masiḫ parvulum et dixit ei: « Quid est nomen tibi? » « Mihi est nomen Aaron, in baptismate *datum* ». Dixit Gabra-Masiḫ: « Recte, nominatus es, nam Aaron partem significat Dei e filiis Israel. Distincta erat magnificentia gloriae eius; erat sacerdos sacrificulus coram Deo, et offerebat ei incensum laudis, suave fragrans quovis mane [2], et operiebat gloria tabernaculum eius, et apparebat ei Deus e sancto sanctorum supra propitiatorium, quod obumbrabat arcam auream, receptaculum Legis ». Et repletus est Spiritu sancto Gabra-Masiḫ, et prophetavit, dicens [3]: « Fili mi, maior eris Aarone, filio Caath, eris superior eo, nam suffimentum Aaronis non faciebat salutem neque aperiebat paradisum, aut educebat ex inferno animas; tibi autem dabit Deus virtutem et potestatem, quas dedit Apostolis suis, ut stans coram toto populo praedicares verbum sanctum eius ». Et benedixit Aaroni parvulo benedictione Patris et Filii et Spiritus sancti et dixit: « Det tibi Deus cognitionem et sapientiam et spiritum rationis quae permanet apud thronos eius. Et hauriat tibi Paracletus Alsāday torrentem laudis, qui ex abysso sapientiae fluit, et ornet te floribus coronae laudis sacerdotii, et faciat te plantam iustitiae in Ecclesia ». Dixit pater eius: « Amen ». p. 122.

Ab hoc tempore incepit Gabra-Masiḫ docere Aaronem psalterium et alphabetum. Et aperuit Spiritus sanctus fenestram

[1] Luc., II, 22. — [2] *Exod.*, XXX. 7. — [3] Cfr. Luc., I, 67.

mentis eius et illuminavit aperturam rationis eius. Et instructus est beneplacito Dei, et omnia, virtute divina edoctus, perfecit. Psalterio Davidis ad finem perducto, seductum est cor eius et transfixum amore Christi, et cum de lectione [1] meditaretur, inflammatus est sicut ignis amore Mariae, pulchrae columbae, quae portabat in utero suo filium Dei et nutriebat eum lacte mammarum suarum, virgo obsignata permanens. Quae digna fuit, ut labia eius florentia labiis suis oscularetur et liquorem salivae et halitum gutturis eius intus oris sui reduceret, cum parvulum laetum oscularetur, et deglutiebat, dicens: « Quid immersum est in salivam filii mei? Saccharumne, an favus
p. 123 mellis, an lac *iuvencae? Et qui est odor suavis halitus filii mei? Utrum mali campestris, an alabastri, an stactes, an turis, an nardi, an cassiae et galbani et sicerae (?). Num pulchrior est splendore faciei eius sol mense hāziran aut luna diebus plenilunii? » Modo amplexa est eum manibus suis, modo collocavit eum super crura sua, modo lactavit eum, modo vestibus involvit et deposuit eum, sinu fovit et tergo suo accinctum portavit, et considere fecit. Deinde ludendo oblectavit eum, sicut feminae, liberos suos oblectantes, et dixit: « Gaudium meum es et suavitas mea! Quis est e gente humana similis mihi, quae filium sine viri unione peperi et *in* virginitate obsignata et observata repagulo, non aperta partu et non polluta sanguine tempore puerperii ». Et lac, quod manabat puero e mammis virginis filiae (?) [2]. « Vive (?) mihi, mi fili, nam vivus es, et ego vivam propter te, et propter me vivet mundus ». Postulavit parvulus, clamans et bālbutiens modo infantium, lingua creaturae, ut lactaretur et dixit ei: « Mater! » Dixit illa: « Ergo [3], suge, pater, pater (?) ». Cum vidisset feminas a liberis suis amantes et matres a parvulis suis, dixit Aaron in corde suo: « Talis est amor Christi erga genetricem suam Virginem ». Ob eam causam liquefactum est cor eius et exarsit sicut flamma clibani propter amorem Agni et fecit labia sua et os suum instrumentum canendi Deo et acquisivit morem bonum in psalterio Davidis, septies die et septies nocte canendo. Et strepuerunt aures eius, et defecit lux oculorum eius, ne viderent vanitatem [4] neque

[1] Menbāb pericope, locus Scripturae. — [2] Textus corruptus Aliquid omissum esse videtur. — [3] Nonne *'ĕnkā* legendum? — [4] *Ps.* CXVIII (CXIX), 37.

audirent verbum inane, sed susurrabant labia et lingua eius legem laudis Dei et sonabat halitus gutturis eius sicut ventus in montibus. Et habuit dulcedinem mundi ut calicem mortis amaram. Et erat ei currus Spiritus sancti Paracleti, sindon baptismatis non textam, nobis indutam (?), constrictae sunt maxillae eius praecepto Veteris Legis. Et fuit ei frenum ieiunium et abstinentia, et stabant pedes eius super petram Evangelii Apostolorum, *sicut equus trahebatur funiculo Evangelii p. 124. et funiculo amoris Mariae purae. Castigabat eum, sicut flagellum, timor nominis Dei exercituum, et currere eum faciebat viam iustorum et martyrum, et impellebat ad certandum in bello inimicorum, donec fecit in eo prodigium et ostentum, donec adduxit eum ad spem vitae, quam exspectant iusti, qui vadunt in via arcta, ubi non est mors et tristitia, in saecula saeculorum. Amen.

Post hos dies surrexit et profectus est ad metropolitam, ut diaconus ordinaretur. Verbo Scripturae et praeceptis ministrandi in ecclesia et ordinis mysteriorum observandi auditis, dixit Aaron mirabilis: « Haec admonitio sit mihi nunc sicut annulus in corde meo, sicut sigillum in brachio meo, sicut sacculum pecuniae ad iter necessariae, et sicut monile ad suspendendum collo. Sit mihi ecclesia sicut pulli turturis, cum matre sua sedentes ». Et reversus est Aaron diaconus in civitatem Gambyā ad Saguadā, monasterium Georgii, et ministravit in eo officium diaconatus multos annos. Quodam die intravit in sacrarium [1] secundum ordinem more suo, ut prunas in acerra caperet cum timore Dei et tremore, et cum *eas* pararet, exiit parva scintilla et consedit in quodam digito eius, et cum adhaesisset, multum ursit eum. Excutiebat eam ad sinistram et ad dextram, sed magnam aegritudinem ei faciebat. Destitit ab ea Aaron mirabilis et flevit fletu amaro, dicens: « Domine, Deus meus, quare avertisti faciem tuam a me et dereliquisti me, ut insilierit in digitos meos haec parva scintilla. Si tacebis a me, assimilabor descendentibus in lacum [2]. Nisi misericordia tua protegat me, omnis qui invenerit me, occidet me [3]. Aspice, Domine, fidem meam: nisi me opus habuisses, mansissem in domo patris mei in patrimonio meo. Ecce id reliqui propter amorem tuum ».

[1] *Bēla gĕbĕr*, domum ministerii vel specierum eucharisticarum. — [2] *Ps.* XXVII (XXVIII), 1. — [3] *Gen.*, IV, 14.

Et dixit mirabilis diaconus: « Anima mea, ne tangat te ignis ab hoc die. Scis enim mihi parvam scintillam insilisse et aegritudinem intulisse. Sed quo peius est mare ignis profundum, margine
p. 125. careus, plenum, [a]fervidum, igne candens propter iram Dei ». Iuravit et promisit se in civitate sua hunc tantum solum diem permansurum esse. Cum esset vigilia tenebrosa, surrexit in ecclesia, et lacrimans precabatur oratione ardenti et abeundi veniam a tabot petivit, et faciem suam vestimento tabot tetigit. Et exiit prima luce, et versus orientem profectus est, dicens Nun: « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis [1]. Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua [2]. Iuravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae [3]. Adhaesi testimoniis tuis, Domine, noli me confundere [4] ob exspectatione mea [5]. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque [6] ».

Et prosperabat Dominus Deus iter eius. Cum venisset in terram Amharam, quaesivit viam in Dabra Gol ducentem, ad sanctum abbatem Baṣalota-Mika'el, quippe qui fuerit maximus et illustrissimus, in rigore certaminis, ex omnibus praeceptoribus illius temporis. Cum ad portas monasterii venisset, petivit et rogavit, ut sui mentionem facerent et de se dicerent. Et introductus est mirabilis Aaron diaconus. Cum intrasset coram praeceptore legis, prostravit se ad pedes eius, et osculatus est genua eius: et dixit ei abbas Baṣalota Mika'el: « Ubi est terra tua, mi fili, unde venisti, et quid desideras e natura gentis humanae? » Et narravit ei omnia opera sua, et quomodo in sacrario ignis digito suo adhaesisset: et dixit mirabilis: « Abba et pater mi, valde et propere propter dolorem scintillae timore correptus ob peiorem poenam ignis, peccatorum damnatorum sortem, fugi, ut animam meam salvam facerem, et veni ad nautarum principem, ut gubernando in lintre precis tuae, salvum me e fluctibus peccati praestares, et adduceret me scala iustitiae tuae *in locum* ubi est Christus pontifex, qui se ipsum sicut agnum sacrificavit ». His auditis, respondit abbas Baṣalota Mika'el: « Vere elegit te Deus et vocavit te sicut Paulum ignis contactu, ut portares utensilia sanctitatis et gemmas pretiosas et lucentes, et ut iter faceres cum iis, et reversus, XV ci-

[1] *Ps.* CXVIII (CXIX), 105 (Nun ordine alphabeti). — [2] *Ps.* LXXXV (LXXXVI), 11. — [3] *Ps.* CXVIII (CXIX), 106. — [4] *Ibid.*, 21. — [5] *Ibid.*, 116. — [6] *Ibid.*, 43.

vitatibus praeponereris. Nunc autem, mi fili, sis constans et firmus corde tuo, et custodi viam Dei [1], et *exspecta misericordiam et gratiam eius, donec faciat tibi e miraculis bonis. Videntes laudabunt Deum propter te ». p. 126.

Paucos post dies, cum vidisset opera et praestantiam et modestiam eius, gemmam cognitionis et elocutionis, et abstinentiam, basi aureae similem, quam in pace acquisivit; cum dein probavisset argentum sacerdotii eius, et quomodo in loco precationis assiduus erat; et cum vidisset eum reprehensionis peccati superbiae et arrogantiae expertem esse, et non esse in eo pigritiam aut aviditatem ciborum, sed perfectum eum esse in caritate et mansuetudine et sedulitate in precando, tum induit eum veste monachatus et monstravit ei viam Antonii et Macarii, vestigia abbatum Pauli et Arsenii, doctrinas abbatum Nabiyud et Maqābis, et abbatum Abibi et Hilarionis, et abbatis Agathonis, qui septem annos os suum lapidibus implebat, et praestantiam omnium iustorum. Et dixit abbas Baṣalota Mikā'ēl: « Benedictio horum sanctorum sit tecum in saecula saeculorum. Amen ».

Et factus est Aaron oeconomus monasterii et archidiaconus, et gratus fuit Deo. Delectabatur ecclesia ministerio et cantu eius, et bona erat omnis agendi ratio eius in corpore et spiritu. Oratio et benedictio et virtus adiutorii eius servet nos ab ira faciei Christi, in saecula saeculorum. Amen.

Illis diebus surgere fecit agitatio undas e procella venti Satanae in finibus omnis Aethiopiae. Erat eo tempore metropolita abbas Iacobus, fide orthodoxus, et quasi leo confidens [2] precatione sua. Rixabatur cum rege Aethiopiae. Et convenerunt omnes pastores Aethiopiae cum patre eorum Iacobo, fratre Apostolorum, et intraverunt ad regem, et dixerunt ei: « Desiste a frigore [3] lectus tui, si non, certabimus tecum, et non dabimus communionem eucharistiae corporis Christi ». In numero XII pastorum Aethiopiae erant antistites (m a m h e r ā n): Baṣalota-Mikā'ēl, Philippus, Honorius, Damianus, abbas Natanael, Iohannes, abbas Andreas, Gabra-Amlāk, Gabra-Nazzāwi, abbas Beniamin, Zar'a Krestos, ad numerum XI antistites. Dixit abbas Baṣalota-Mikā'ēl abbati Iacobo: « *Pater, est apud me puer, ardenti studio martyrii flagrans et sitiens sicut p. 127.

[1] Cfr. *Ps.* XVII (XVIII), 21. — [2] *Prov.*, XXVIII, 1. — [3] *Sic!*

terra deserta amorem Christi, Domini sui ». Dixit abbas Iacobus: « Iube adduci eum ad diem tertium ». Misit abbas Basalota-Mikā'ēl ad Aaronem mirabilem, dicens: « Veni, mi fili, ordi cunctari ». Venit ille antistes et intravit ad Iacobum metropolitam et dixit ei: « Veni, ut tecum morerer. Consocia me, pater, congregationi tuae, nam defectum habetis in numero vestro ». Et consociatus est iis, et factus est numerus eorum XII antistitum. Tunc dixit abbas Iacobus pastoribus Aethiopiae: « Ecce tempus messis arvi nostri. Estote constantes et firmate corda vestra, sicut Apostoli, patres vestri. Et consociemini iis usque ad mortem propter studium gratiae Christi, quae est maior et excelsior honore regum terrae. Ecce rugit rex Aethiopiae, sicut leo, et quaerit, quo modo nobiscum bellet. Nunc autem pugnabimus cum eo et dimicabimus gladio fidei. Vos estote sicut XII Apostoli, tu autem, Basalota-Mikā'ēl sicut Petrus, fidei petra. Praepono te omnibus pastoribus Aethiopiae, ut sis administrator eorum ».

Eo die venit Aaron mirabilis e Dabra Gol in regiam ad praeceptorem suum cum multis diaconis monachis, et adduxit eos ad Iacobum metropolitam, qui eos sacerdotes ordinavit et dixit iis: « Estote digni mysterii, ut domus Spiritus sancti sitis ». Erant numero ordinati LXXII monachi. Et benedixit iis et dixit iis: « Estote LXXII Apostolis similes, hic autem Aaron mirabilis sit pastor vobis, sicut Paulus, lingua unguenti pretiosi ».

Post haec misit rex ad abbatem Iacobum et dixit: « Ecce cras dies festus est magnus; veniam in ecclesiam ad vos. Parate vos, exspectate me ad missam, ut e manibus vestris communionem accipiam ». Haec dixit non e corde suo, sed quia audi-
p. 128. verat *pastores Aethiopiae et metropolitam consilium iniisse, ne darent ei eucharistiam propter frigorem lectus eius. His auditis, pastores valde perturbati sunt. Dixit abbas Iacobus antistitibus: « Ad quid vobis spectare verbum regis videtur, et quo consilio veniet ad nos communionis causa, cum sint apud eum sacerdotes tabernaculi eius? » Responderunt praeceptores antistites (nebūrāna-'ēdi, XII pastores Aethiopiae: « Non boni causa veniet, sed ut oves tuas invadat, et nos diripiat, si recusabimus ei eucharistiam porrigere ». Et dixerunt ei: « Quid est melius nobis, et quis intrabit ad missam, impediturus eum

ne accederet? Nonne administratorem, qui eum ab anaphora prohibuerit, egressus statim capite truncabit? Nunc autem iube aliquem intrare ad ministrandum et dic: ‘Talis, dic missam et esto paratus, martyr fieri prae fratribus tuis’». Respondit abbas Iacobus metropolita: «Num ego pastor et pater vester, lupo veniente, fugiam, et retro me convertam? Num propter escas conditas constitutus sum metropolita, primas, et pastor, et praedicator Evangelii, et tābotāt consecrator et sacerdotum ordinator? Missus sum via potestatis Apostolorum, porto sigillum chrismatis et Evangelium potestatis eorum, ut sim lux ecclesiae in operibus bonis. Primus sum in benedictione et in communione mysterii accipienda. Sum sacrificator Agni, redemptoris mundi, et ordinator sacerdotum sacrificantium primitias [1], quae semper mactantur et semper vivunt. Et abundat in (?) calice merum [2] vinum sanguinis eius, vinum cultus divini, quod cum [3] hauritur et bibitur, sumptum... [3] non deficit. Medicina morbi et donatio sapientiae est aqua lateris Christi, ductoris vitae, qui ipse dixit: ‘Ego sum pastor bonus et animam meam do pro ovibus meis’. [4] Sum pater vester, ab eo constitutus ad crucem eius portandam et Evangelium eius praedicandum. Nihil est quod possit eripere ex intimis cordis mei charitatem Christi: non fames, neque hastae, neque exsilium, neque mors; neque confundar verbo eius in generatione ista adultera et peccatrice [5], ut ipse dixit: ‘Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est [6], *et qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego p. 129. eum coram Patre meo, qui in caelis est’ [7]. Ecce cras, ubi venerit rex et dixerit: ‘Administrate mihi sacrificium vestrum’; obtemperate ei, nolite resistere. Ego exibo sacris peragendis et confundam faciem eius; non poterit enim e manibus meis eucharistiam Christi eripere». Et, congregato omni concilio pastorum, dixit sacerdotibus: «Ecce ego, Iacobus, pater vester, paravi me ipsum, ut manu huius regis Deo sacrificarer; vos autem, XII pastores, estote quasi XII Apostoli, et vos LXXII sacerdotes, sicut LXXII discipuli. Ecce pater vester est instar Christi supra vos omnes. Nunc autem patienter tolerate omnes laqueos

[1] apargē ex ἀπαρχαί corruptum. — [2] akrāṭon = ἄκρατον. — [3] ? Textus corruptus esse videtur. — [4] IOHAN., X, 11. — [5] MARC., VIII, 38. — [6] MATTH., XII, 33. — [7] *Ibid.*, 32.

mortis, qui supervenient vobis fraudulentia consilii Satanae, qui nunquam sanguine hominum satiatur. Ne labefactetur baris navis fidei vestrae vento terroris regis, qui non potest interficere animas vestras ». Responderunt ei: « Pater, nonne Apostoli et martyres erant homines, sicut nos? Cum sit potestas in ore nostro, non metuemus mortem, cum vitam speramus: si enim commortui Christo sumus, et convivemus [1] ei et conregnabimus in urbe eius caelesti ».

Altero die venit ad eos rex, ut eucharistiam acciperet, cum magno terrore et rugitu. Tum sacris peragendis intravit abbas Iacobus metropolita. Consecratione finita, exiit dicens: « Quos vocasti, Domine, et sanctificasti, da illis partem [2] », et exierunt cum eo XII pastores Aethiopiae et LXXII sacerdotes. Erat iis trepidatio magna propter timorem regis. Qui cum appropinquasset ad corpus Christi, dixit metropolitae: « Da mihi corpus Christi, ut communicem ». Respondit metropolita, contradicens verbo: « Non dabo tibi corpus Christi, ut communices, quia non es ei propinquus, ut ipse dixit: ' Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos ' [3] ». Idem dixerunt omnes pastores et sacerdotes. Verbo reprehensionis *ex ore* orthodoxorum praeceptorum audito, confusus est rex et exiit minas
p. 130. proferens e domo sanctuarii Dei, *quia non potuit in illa cum iis contendere, et intravit in domum suam. Sancti autem perfecerunt actum ministerii sui, Deo omnipotente adiuvante, et, confortante patre eorum abbate Iacobo virtute Spiritus sancti cum precabatur, ut victoriam de rege stupratore reportarent. Preces eorum servent nos a seductione diaboli perditoris, in saecula saeculorum.

Revertamur ad principium narrationis. Tunc *rex* sedens in throno, iussit adduci Iacobum metropolitam cum XII pastoribus et LXXII sacerdotibus. Venerunt sancti, ornamento divino ornati, galeis salutis sibi impositis gladiosque ancipites Spiritus sancti, qui sunt potestas Petri, et scuta fidei cum e dextra, tum e sinistra parte tenentes, ut possent resistere in die malo [4]. Et steterunt coram rege audenter, non commoti.

[1] II *Tim.*, II, 11. — [2] Initium precis post communionem in liturgia communi Aethiopica. Cf. *Bull. Patronatus Portugalliae* III, App., Documenta hist. Ecclesiae Habess. illustr., II, p. 219 et 256. RENAUDOT, *Lit. Orient.*, I, 520. — [3] MATTH., VII, 6. — [4] Cf. *Ephes.*, VI, 13-17

Cum vidisset eos rex, perturbatus est et rugiit sicut leo, et coepit conviciari praeceptoribus, hoc modo dicens: « Cur haec facitis? Primum audivi vos in terra regis habitantes pro me non precari ad missam et officium incensi et supplicationem exclamationum, nunc autem me ab eucharistia prohibuistis ». Responderunt et dixerunt ei: « Non precamur neque supplicamus pro te, quia non audivisti vocem Iacobi metropolitae, neque calefactum est frigus cordis tui sole praedicationis eius. Non damus tibi eucharistiam, qua indignus es, quia vetuit nos Dominus noster dare eam tibi similibus ». Dixit iis rex: « Salvet vos e manu mea Iacobus Aegyptius, quem adduxistis pretio auri mei? Si non, eiiciam eum e throno eius et mittam in terram eius, vos autem manebitis in manu mea ». Responderunt ei: « Ecce Deus noster, ecce rex noster, qui eripiet e manibus tuis [1] ».

Cum *rex* abbatem Aaronem e longinquo vidisset, quaesivit eum: « Unde venisti? » Respondit abbas Aaron sacerdos: « Sum discipulus Iacobi metropolitae, qui est Christo similis. Venimus ad te, ut *aut te a peccato Ruben averteremus, aut tibi adversaremur et manu tua nos ipsos sacrificium iustum offeremus ». Accesserunt cum eo LXXII sacerdotes et obiurgabant *regem* in contentione. Tunc iussit *rex* manus pedesque LXXXIV sanctorum vinciri, ipsos autem in pectora humi prosterni et funiculis e planta ṭēṭe verberari, quoad videri potuerunt ossa eorum. Et capti sunt et verberati XII pastores, quoad dilaniatum est corpus eorum. Comprehenderunt et abbatem Aaronem, gemmam pretiosam, et manus ei inferre inceperunt. Tum cepit Deus terram, quae eum sicut amiculum vestimenti operuit. Et exiit iussum a rege, in quo dictum est: « In hoc advena vehementer castigando perseverate ». Milites, in corpus eius non incidentes, dixerunt: « Cur non verberamus nisi terram solam, non vidimus enim carnem eius, sed solos funiculos, quibus vinctus est, in manibus eius? » Surrexit rex, ut videret miraculum, *circa eum* factum, et dixit iis: « Quid est nomen huic monacho? » Responderunt: « Abbas Aaron, princeps LXXII sacerdotum et martyrum ». Quaesivit ab eis: « Quoties verberastis eum? » Responderunt milites: « Numero CL excessimus, *plagas* terrae inferrentes,

p. 131.

[1] Cfr. DAN., III, 17.

et carnem eius non vidimus ». Dixit rex voce sua : « Abba Aaron mirabilis, ubi es? » Respondit : « Ecce ego sum, apud Dominum Deum meum. Quid mihi homo faciet, quoniam *Deus* abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui [1] ». Et multi e militibus regis dixerunt : « Mirabilis Deus in sanctis suis [1], qui facit miracula in sanctis suis ». Iussit rex eum honorifice capi, et timore propter eum correptus est. Valde gavisus est abbas Iacobus, hoc miraculo viso et audito. Et ceperunt sanctos verberatos viri fideles, et lavaverunt corpora eorum, et unxerunt vulnera eorum iussu regis. Et sanati sunt brevi temporis spatio. Misit ad eos rex, dicens : « Simus societate et communione in eucharistia iuncti. Nolite imprudenter agere, consilio huius Aegyptii, qui non eripiet vos e manu mea ». Surrexerunt cuncti pa-
p. 132. stores et discipuli cum Aarone mirabili *et Iacobo metropolita, et profecti sunt ad regem, et altercati sunt cum eo tanta obiurgatione, ut non possit enarrari. Iratus est vehementer [2] et indignabatur anima eius propter obiurgationem, dictam ei a militibus caelestibus, certatoribus, firmis facie, sicut petra, et non conversum est cor eius ad dicta eorum, sed coepit dispergere eos per regiones, in sitim et dolorem, in calorem gravem, qui corpus tabescere et ossa marcescere facit.

Comprehenderunt patrem nostrum Aaronem martyrem cum LXXII sacerdotibus speculatores. Multi homines secuti sunt eum, dicentes : « Confidimus orationi tuae, nec a te usque ad mortem discedemus, nam vidimus miraculum nobis a Deo factum, rege te verberante. Et benedixit Iacobus Aaroni psalmistae benedictione perfecta Trinitatis et dixit ei : « Exaudiat te Dominus in die tribulationis ; protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de sancto [3]. Dominus conservet te [4], protegat te manu dextera sua, et defendat animam tuam, et educat te de laqueo quem absconderunt tibi [5], et faciat tecum signum in bonum, ut videant qui oderunt te, et confundantur [6], in saecula saeculorum. Amen ».

Deinde abducti sunt pastores et discipuli, parati ad exsilii af-

[1] *Ps.* XXVI (XXVII), 5 — [2] *Ps.* LXVII (LXVIII), 35. — [3] Cod. exhibet : « et iussit, et deinde iratus est », quod mihi corruptum esse videtur. — [4] *Ps.* XIX (XX) 1-2. — [5] *Ps.* XL (XLI), 2. — [6] *Ps.* XXX (XXXI), 4. — [7] *Ps.* LXXXV (LXXXVI), 17

flictiones, milites ornati et martyres victores, propter certamina sua stupendi, monachi, carne vestiti, sed angelorum praestantiores. Inter eos Aaron sacerdos sicut stella inter stellas apparuit, et sonabant in ore eius cymbala laudis sine requie aut intermissione, CL psalmi Davidis, Cantica prophetarum, Canticum Canticorum, Laudes Mariae Reginae, Portae Lucis septies quotidie, cum transiret regiones depressiores [1], aqua carentes, aestu solis ignis instar membra eius diluente. Nolebat ventrem suum liquore aquae refrigerare, nec sub umbra requiescere, quoad lavatus est guttis sudoris sui sancti et humectavit vestem suam fervore aestus diei, donec marcidum factum est sicut sicca frons et arefactum sicut *textum araneum p. 133. corpus eius, et adhaesit faucibus lingua eius a voce gemitus orationum eius, et aruerunt sicut cremium tectorum ossa eius [2]. Post solis occasum afferebant ei discipuli ex iis quae secum habebat, et potum (?) [3] in utre aquae, quotiescunque aquam in itinere reperiebant. Si non reperiebant, manebant tamquam testa aridi [4]. Et non reclinabat caput suum per totam noctem hic pater noster, quoad ad finem perduxit septimam laudis vicem. Et sedebat Maria Aegyptia cum pastorum principe (?), quem (!) dedit ei abbas Iacobus [5], in throno ligneo pretioso. Et apparuit ei noctu Salvator metropolitae Iacobi specie et dixit ei: « Pax tibi, discipule, qui missus es ad fidem docendam et velox in gratis faciendis, qui viribus non deficiebas in laudibus, et requiem non habebas a precando. Noli timere. Ecce, omni tempore et omni hora tecum ero, secundum pactum meum cum sanctis Apostolis in Evangelio; haec enim dixi iis verbo oris mei, quod dona mea non infitiatur: ' Nolite timere eos: non possunt enim occidere animam vestram, sed tantum corpus vestrum, quod aegrotat et morte deletur ' [6], et iterum dixi: ' Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in caelis [7]; qui autem negaverit me coram hominibus in generatione ista adultera et peccatrice, negabo et ego eum coram hominibus et angelis ' [8] ». Haec dicens

[1] Q ŭ å l ā aethiopice. Hoc nomine regiones humiles, ardoribus solis obnoxiae et insalubres appellantur. — [2] *Ps.* CII (CI), 35. — [3] Textus exhibet: « et poculum », quod mihi corruptum esse videtur. — [4] Cfr. *Ps.* XXI (XXII), 15. — [5] Corruptum aut aliquid omissum esse videtur. — [6] Cfr. MATTH., X, 28. — [7] MATTH., X, 32. — [8] Cfr. MARC., VIII, 38.

confortavit eum Dominus noster, et dixit ei: « Sis constans, noli timere coram facie praefectorum (mankūānenet), nam dabo tibi os et sapientiam, ne possint tibi sine detrimento contradicere[1] ». His dictis, abiit ab eo Salvator et a conspectu oculi corporalis evanuit.

Et surrexit Aaron in gaudio et laetitia. Deinde precatus et versus Angūāt profectus est. Secuti sunt eum incolae civitatis, et fundavit ibi multa monasteria et coenobia et fecit multa magna miracula et ostenta. Plantavit olera et aqua ea irrigavit, *et fecit* terram instar paradisi. His firmatis, in terram Tegrē abiit, et ibi multa monasteria fundavit. Manebat in Tambēn et restituit ibi monasterium Ambā abbatis Iohani. Deinde abiit versus regionem Wāg, quae congregata obviam
p. 134. ei cum monasteriis suis *fuit. Fecit in ea miracula et ostenta, et in terram Roha profectus est. Receperunt eum incolae huius civitatis, quia audiverant de omnibus ostentis et miraculis, quae fecerat Deus in urbe exilii eius.

Interrogaverunt illi filios eius: « Dicite nobis, viri sancti,
nonne hic sit magister vester, Aaron mirabilis nomine,
unus e pastoribus firmis et fortibus,
quem terra tegendo a flagellatione regis abscondiderit,
et cuius ad obumbrandum duae arbores altae oleae provenerint,
non tempore constituto, nec aetate *definita*,
et cuius oratione statim flamma ignis ferventis extincta sit? »
Responderunt iis filii eius: « Ita, vere!
Nonne nos ipsi eramus cum eo?
Vidimus oculis eum haec facere posse.
Descendimus cum eo in angustias afflictionis.
Et hic vir, quem videtis, Nāzē nomine, eunuchorum praepositus,
missus est ad nos, ut videret locum, in quo manseramus,
videns miracula, a vobis auribus audita,
conversus est corde suo et ad pedes patris nostri pronus se
paenitentiam egit et ad salutem baptizatus est, [proiecit,
et schemate sanctorum vestitus,
nomen Ferē Berhān accepit.
Hi omnes, quos videtis, sunt congregatio sanctorum,
filii eius sectatores ».

[1] Cfr. Luc., xxi, 15.

Dixerunt hi incolae Roḫā et sacerdotes *terrae* Warwar: « Benedictus Dominus, quia adduxit ad nos hunc virum iustum et praeceptorem, ut e manibus eius communionem sacramenti acciperemus ». Et insonuit universa civitas eius causa. Et venerunt ad eum homines *ex* Ḫawā e Šadaho et salutaverunt eum in amore, et geniti sunt ab eo fonte baptismali excavato (?), et attulerunt ei manibus suis dona e bonis suis, ille autem sanavit aegrotos eorum. Et fuit pater noster Aaron thaumaturgus in civitate Roḫā in monasterio Georgii, donec *prosperavit Deus p. 135. iter eius, ut iret et aedificaret locum requiei suae.

Valde sollicitus fuit de multis filiis suis,
nobili loco natis, qui sequebantur iustitiam eius,
ut confortaret eos virtute monachatus recti, ne comminuerent
[constantiam suam,
dabat iis semper oculos cognitionis ut eum viderent et pe-
[nitus intellegerent,
ne furaretur exercitus Mastema [1] schema sanctum eorum.
Unusquisque ne detegeret nuditatem suam. [vertite,
Quotidie admonebat eos, dicens: « Cavete filii, mei et animad-
ut a cupiditatibus carnalibus procul absitis:
hoc est patris vestri desiderium.

Fuit in civitate Roha vir caecus, qui assiduus erat in ieiunio et precibus per dies et noctes, et omnia opera hominum illi aperta fuerunt. Multum diligebat is caecus abbatem Aaronem mirabilem. Monstravit ei Spiritus sanctus locum requiei eius. Et dixit ei: « O praeceptor benedicte, educ me foras, ut nos ambo soli ad parietem sedeamus ». Et exierunt una, de salvatione Dei colloquentes. Coepit ille sciscitari ex eo, dicens: « Frater Aaron, ubi sunt civitates, quas video versus occidentem? » Respondit pater noster: « Ecce video adspectus multorum montium civitatum ». Locutus est iustus vir ille: « Da mihi dextram tuam ». Et cepit dextram patris nostri Aaronis dextra *sua* caecus ille et vertit digitis suis sicut sagittam in dextram partem (?) et monstravit versus hunc montem, et dixit: « Perspice usque ad montem album, scuto similem, cuius caput fronde a h f ā g et viriditate herbae et arborum velatum est ».

[1] Nomen Satanae. Graece Μαστίφατ.

Dixit pater noster: « Ecce cognosco et intelligo quid dicis ». Et dixit non videns videnti: « Ex his duobus montibus in posteriore erit prima habitatio tua, in priore autem extrema re-
p. 136. quies tua; *ibi obdormies tempore lectus tui, a Domino vocatus. In posteriore monte Qaṭin afflictiones et aegritudines supervenient tibi, in priore autem in ubertate post senectutem requiesces. Et venient et habitabunt ibi viri electi, gens sanctorum ». Et conversus est caecus ille ad patrem nostrum et dixit ei: « Surge in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae [1]. Beatus es et bene tibi erit [2]. Recordare de me in precibus tuis ». Et permanserunt hac nocte, narrante illo de omnibus arcanis, sibi a Spiritu sancto de patre mirabili revelatis.

Deinde, postero die surrexit pater noster mirabilis cum omni congregatione sua, et traiecit flumen Tacaze, et adscendit in montem Qaṭin, monte Darēt a dextra relicto, quia non venit Aaroni sacerdoti tempus in eum adscendendi, et mansit tota congregatio sanctorum et circumdedit montem Qaṭin. Et quaesiverunt *locum* ad ponendum tābot, et excavaverunt petram, et ornaverunt sanctuarium tābot et speluncas ad cellas suas. Habitabant in monte Qatin septem annos, et audita est fama et narratio de miraculis patris nostri in omnibus regionibus Maqēt et Asāsa et in finibus Wādlā et Dāwent. Et resonuit universa Bagēmeder eius causa ab Amḫarā usque ad Wagarā. Veniebant ad eum, ut salutarent eum et a morbis suis sanarentur. Et fiebant monachi viri fideles manibus eius, et docebat iis viam Dei, quae intrabat in corda eorum.

Invenit Aaron mirabilis gratiam magnam et honorem et elatus est apud Deum et apud homines, et valde verendus fuit. Venerunt ad eum incolae Gāynet, viri feminaeque fideles, et nati sunt ex utero baptismatis. Gaudio affecti sunt cognati eius propter maiestatem verendam, quae fuit in eo. Cum vidisset Satanas abbatem Aaronem omnibus civitatibus doctrina sua potitum esse, invidit ei et intravit in cor monachi cuiusdam e civitate Zebē, Takla-Hāymānot [1] nomine, qui non recte nominatus est, sed est Planta sanguinis et Planta peccati, Planta turpitudinis, et Planta mendacii, et Planta dedecoris, et Planta tenebrarum.

[1] *Ps.* CXXXI (CXXXII), 8. — [2] *Ps.* CXXVII CXXVIII), 2. — [3] Nomen significat « Planta fidei ».

Quid datum est ei aut quid appositum est ei *propter labia ini- p. 137.
qua et linguam dolosam?[1] Surrexit et profectus est ad regem Sayfa-Araʿād et calumniatus est illum, dicens: « Est monachus quidam, qui reges probris afficit, qui adversarius fuit patris tui, et qua est protervitate, insolenter obiurgavit eum. Vexavit eum pater tuus multis cruciatibus, nec potuit eum subigere, et solus ex omnibus praeceptoribus remansit. Operuit montes *terrae* Maqēt, et nemo ad me se convertit, sum ignominia affectus et obrutus praedicatione eius. Adhuc non precatur neque orat pro te, neque adorat potentiam regni tui, sed obiurgat te, et tibi sicut antea maledicit ». His ex ore Plantae maledictionis auditis, valde iratus est rex et dixit ei: « Quid faciam contra eum? » Respondit Planta Satanae: « Nihil ei facere, neque interficere eum potes. Sed educ eum e monasterio eius cum omnibus filiis eius et dissipa eos per terras sitis et aestus solis, qui membra corporis eorum liquefaciat. Colloca eos in *regione* arboribus et aqua carente: ibi excutientur sicut locustae[2] et non manebunt ». O Planta fraudis, quid est nomen monachatus tui et quid est nomen sacerdotii tui? Non es dignus sacerdotio, cum labia iniqua et iniusta habeas. Non es dignus monachatus, cum sis sine amore et modestia. Schema tuum sanctitate caret, quia suspensus est collo tuo invidiae et superbiae laqueus, qui te in perniciem trahit! Et obtemperavit rex verbo Plantae calamitatis, et misit milites malignos, Deum non timentes, neque faciem eius reverentes. Qui in Dabra Qaṭin venerunt, et sanctos circumsteterunt, et abbati Aaroni verbum regis dixerunt, te molestaverunt eum et dixerunt: « Non pernoctabimus hodie, sed et abducemus. Voca monasterium tuum, ne una quidem anima maneat, sicut rex iussit ». Fuit quaedam filia regis Sayfa-Arʿād, quae sprevit delicia mundi et opes et portavit sigillum Christi. Aufugit a coniuge suo et venit ad Aaronem mirabilem, quia audiverat de miraculis eius, et facta est monacha manibus eius. Et dedit ei nomen Barbaram. Cum audivisset rex eam ad Aaronem mirabilem Dabradārētensem venisse, *misit clam qui noscebant eam cum Verbo Regis (qāla p. 138.
ḫaṣē). Et cognovit spiritu suo Aaron mirabilis advenisse quaerentes eam, et apud anum quandam occultavit eam.

[1] Cfr. *Ps.* CXIX (CXX), 2, 3. — [2] *Ps.* CVIII (CIX), 22.

Exiit sanctus Aaron mirabilis cum tota congregatione sua, monachis orthodoxis, et cum ccc. virginibus monialibus. Et exclamavit Aaron, dicens: « Qui dubitat, recedat; qui autem fidem habet, me sequatur et tollat crucem mortis suae, ne claudat portas domus suae neve exstinguat caminum ignis, sed succingat lumbos suos gladio fidei, quia tempus est messis veritatis. Properemus ire iter sanctorum martyrum: ibi inveniemus Agnum salutis nostrae. Consociemur laboribus eorum in exsilio nostro. Pro sanguinis effusione lacrimas nostras effundamus; pro interfectione corporis sit fames et sitis, nos marcidos facientes; pro flagellatione simus illis similes aestu solis ardentis nos tabescere faciente et diluente, cum nos calcent et percutiant, et deducant, et colaphis caedant. Cum socii eorum in morte nostra simus, intrabimus cum iis in caelum, quod est civitas *eorum* ». His dictis, cum DC sociis suis profectus est. Exclamavit universa civitas, dicens: « Pater! pater! refugium animarum et corporum nostrorum! Vae nobis! Vae nobis! Ab hoc tempore deerit sanatio aegrotorum nostrorum et solatium tristium nostrorum. Num abis, vir pacis nostrae, qui fuisti nobis pater, mater et dux in regnum caelorum? Melius erat nobis non te videre, neque cognoscere. Laetitia nostra in maerorem versa est, lux nostra est tenebris operta. Vae nobis! Relicti sumus in orbitate nostra ». Et eiulavit universa civitas Maqēt, et loquebatur cum illis praeceptor legis de iis quae in corda eorum intrabant.

Deinde egerunt sanctos Verba Regis et eos ascendere fecerunt ad aditum Baśelo, sole ardente et aestu diei membra eorum liquante. Quaerebant umbram, ut paullulum requiescerent. Fuit arbor ʿāgām[1] in summa rupe. Dixerunt patri suo Aaroni mirabili: « Pater! Pater! devorata sunt membra nostra sudore aestus ».
p. 130. Respondit illis pater: « Requiescite sub hac ʿāgām ». *Dixerunt ei: « Non possumus ». Dixit illis Aaron mirabilis: « Vos invicem prementes, requiescite sub ea paullulum ». Dixerunt alter alteri: « Devorati sumus sudore caloris ». Et nominata est haec terra Wahat usque ad hunc diem. Ceciderunt omnes sancti alter super alterum et altera super alteram, et non fuit iis ad obumbrandum satis umbrae *arboris* ʿāgām. Deciderunt sicut folia, itinere defatigati, et dormitabant hora sexta. Cum

[1] Carissa edulis. Vide GUIDI, *Vocabolario Amarico-italiano*, 501.

vidisset abbas Aaron suos filios et filias, sicut folia quae de ficu defluxerunt, flevit et planxit et gemuit in cogitatione et corde suo amare, cum adventum eorum in terram cruciatus, hac peiorem imaginatus sit. Et dixit iis: « Mei fratres sororesque, eamus, quia sitimus, propere porro ad aquam reperiendam. Cur sedent sicci illorum et adhaerentes vestrum? [1] » Irati sunt ei et dixerunt: « Nescimus unde nobis bibere daturus sis. Sumus oves tuae, tu pastor ipse potum praebe gregi tuo unde vis; num virtute huius *potus* proficiscemur? » Cum vidissent famuli regis Aaronem iustum plorare, valde maesti sunt et ploraverunt cum eo. Et elevavit Aaron mirabilis oculos suos ad regem caelorum, regem corporis et spiritus, et se convertit *ad eum*, dicens: « Nonne tu es Deus qui fluere fecisti *aquam* e petra dura *populo* Israel, ut biberet in deserto? Num est alius Deus, praeter te, qui iudicabis caelum et terram? Num est alius, qui cogitet nostra causa, qui sollicitus sit de lassitudine nostra? Propter nomen tuum deduc me et enutri me [2]. Nam sancti illi Moyses et Aaron in sacerdotibus eius [3], Domine, tu exaudiebas eos, Domine, tu propitius fuisti eis [4]. Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te [5] ». His dictis, exploravit terram et ter confodit *eam* baculo suo, dicens: « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, unius Dei! » Et fluxit aqua, precante Aarone mirabili XI horae tempore. Et dixit *Aaron* congregationi suae: « Surgite, filii mei, videte salutare Dei nostri [6]. Gustate et videte quoniam suavis est Dominus [7]. Is est pastor vester, et ad eum conversio vestra [8]. Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino [9] ». Cum vidisset *congregatio eius hoc miraculum, vehe- p. 140.
menter obstupuit et bibit ad satietatem perfectam. Exstat *haec* aqua usque ad nunc, et usque ad hunc diem, Waḥaṭ nomen habens; consident ad eam omnes viatores.

Altero die surrexerunt *ministri, qui* Verba Regis *appellantur*, et egerunt sanctos, et abduxerunt eos in civitatem Amharae, cui nomen Hol'o.

Nunciatum est regi Aaronem mirabilem cum congregatione

[1] Textus corruptus? — [2] Cfr. *Ps.* XXX (XXXI), 3. — [3] *Ps.* XCVIII (XCIX), 6. — [4] *Ibid.* 8. — [5] *Ps.* XXVI (XXVII), 7. — [6] Cfr. *Ps.* XCVII XCVIII), 3. - [7] *Ps.* XXXIII (XXXIV), 8. — [8] Cfr. *Cant. Cant.* VII, 10. [9] *Ps.* XXX (XXXI), 24.

sua venisse. Dixit ille: « Adducite eos ». Sedebat rex *in* area throni et faciebat rebata exercitui suo. Stabant omnes virtutes regni, et qui clamabant et rugiebant leones. Gestatores diho et gladiorum erant parati ad sanctos monachos terrendos et ad tremorem virginibus monialibus iniiciendum. Dixit abbas honoratus filiis suis: « Estote constantes paullulum *temporis*, et confortate corda vestra, et sperate in Deo, sicut dixit propheta: ' Salus iustorum a Domino, et protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuvabit eos, et liberabit eos, et eruet eos a manibus peccatorum ' [1]. Cur perturbati estis timore regis mortalis? » Cum haec pater noster dixisset, iussit rex eos in medios milites et intra exercitum adduci. Et stetit Aaron cum DC sociis suis coram rege. Iratus est rex, cum vidisset abbatem Aaronem, et saeviit sicut leo, et dixit ei: « Cur gloriaris et superbis, ut non ores pro rege, sed maledicas nobis et probriis nos afficias? » Respondit pater noster: « Secundum opera tua et mores tuos pro te oramus ». Dixit rex: « Cur monachos per insolentiam fecisti filiam meam et fratrem meum? [2] » Respondit mirabilis et dixit ei: « Si ad me veneris, etiam te monachum faciam ». Et locutus ei est rex magnas obiurgationes, quae indignum est praeceptori legis loqui. Et suscepit abbas Aaron *eas*, gratias summas agens. Dixit iis [3] *rex*: « Adduc *mihi* fratrem meum et filiam meam ante omnia (?) ». Dixit pater noster: « Quando tutelam *eius* mihi commisisti? » Respondit rex: « Estne hoc, ut commoremur, sicut aequales altercantes? Adduc filiam meam et fratrem meum et adora re-
p. 141. gnum *meum, ne sis in medio huius exercitus ignominia affectus, neve appareat turpitudo nuditatis tuae et sociorum tuorum ». Milites perturbabant eos et percutiebant pectora et latera eorum baculis dembusāt et maguĕraba hastarum. Turbata est congregatio sanctorum sicut mare, vento agitatum; precabantur et plorabant ad Deum, ut ab ira regis eos liberaret, et clamabant magna voce cum fletu, dicentes: « Pater noster, qui es in caelis, ne nos inducas, Domine, in tentationem ». Mota est terra a sonitu vocum sanctorum, et fletus lacrimarum monacharum fluebat super eos sicut effusio aquae super terram.

[1] *Ps.* XXXVI (XXXVII), 39. — [2] De fratre nihil narratum est. — [3] Videtur corruptum esse.

Deinde iussit rex adimi vestes eorum. Et detraxerunt milites vestes et schemata sanctorum patrum nostrorum et monacharum matrum nostrarum. Quidam dixerunt: « Non dabo vestem monachatus mei. Decollate me, aut transfigite ventrem meum, ut in schemate meo moriar ». Cum plagis et alapis nihil potuissent *facere*, in terram eos proiiecerunt, et pedibus percutiebant, et cum ludibrio et ignominia, amaris sicut absinthio, ut enarrari non possint; cingula eorum dissolverunt. Audiebatur usque ad caelum sonitus clamoris et gemitus. Deinde, vestibus detractis, nudati steterunt. Erant monachae magnae, psalmistae, quae stabant nudatae cum fratribus suis post pastorem suum. Aaron mirabilis, etiam stabat nudatus, Spiritu sancto instructus, luce ornatus. Locutus est rex et dixit ei: « Attende dedecus et pudenda tua coram tota multitudine nudata esse ». Respondit mirabilis: « Quid est in natura mea diversum, quod non est in te [1]? Num non sumus ego sicut tu, et tu sicut ego; et pudenda tua num non sunt meis similia, eadem lege circumcisa? Et in forma feminarum tuarum nonne est idem, quod in filiabus meis? Quid monstras nobis, quo pudore afficiamur, nisi in omnibus hominibus institutum? » Tunc iussit rex excitari in eos leones rugientes. Venit leo magnus et volutavit se ad pedes eius. Venerunt multi leones et *cubuerunt ad pedes eius, lambentes vestigia. Cum *haec* vidissent exercitus Aethiopiae, tremuerunt et metuerunt. Dixerunt proceres regis domino suo: « Non decet tibi certare cum hoc viro iusto et Deum timente, qui leones lenivit et se prosternere fecit ». Et dederunt iis vestes eorum. Operuerunt nuditatem suam et benedixerunt Deo laude magna [2]. p. 142.

Exquisivit rex quomodo cruciaret eos. Et iussit deduci sanctos in regiones depressiores et calidas, arbore et aqua carentes, ubi non inveniuntur herba nec humus. Et abducti sunt sancti, instar agnorum acti.

O pater, in operibus iusti perfectus
et fide a dextra et a sinistra coronatus! [loquendum,
Sal amoris tui suave trahit sicut vinum et compellit me ad

[1] « In me » cod. — [2] Cf. in vita Philippi, f. 175 narrata. De leonibus vide supra p. 24,34 = Acta Baṣalota Mikā'ēl, fol. 31*r*. (p. 27.28 textus); in vita Philippi, f. 177.

dum considero afflictiones et tentationes, quae praeter modum
[supervenerunt tibi
Tamquam purgamenta in mundo possidebaris. [deducereris,
cum in Dara regiones depressiores, ut deserti flamma urereris,
et in area coetus terribilis nudus collocabaris.
Cum haec recordor, effunditur in me anima mea
et supervenit mihi confrictio ossium meorum [1].
Et clamo voce tua, sicut ablactatus super matre sua [2], cum
[cogito de tuis in itinere afflictionibus, sub sole aestivo
[ardente, ut dissolutum sit corpus tuum sicut cera propter
[famem et fatigationem
et cum recordor laborem migrationis monachorum, sectatorum
[tuorum, in regionibus depressioribus,
et certamina afflictionum filiarum tuarum monacharum, quae
[amorem mundi oderunt,
quae cum irent per viam caloris, plantas pedum earum urentem,
[sicut carbonem,
donec aruerunt intestina earum, sicut folia ficus et charta con-
[voluta
et adhaesit lingua earum faucibus propter siccitatem salivae
[earum mollientis?
p. 143. *non valentes loqui, sicut mutae factae sunt
non valentes gradi, sicut folia deserti defluxerunt. [peliret.
Quaedam ex iis mortuae sunt, ubi defuit qui obsignans eas se-
Cum hanc diem recordor, trepidat cor meum intus me, et
[vocem meam cingit tristitia submergens.
Tu autem, praeceptor legis constitute, priusquam supervenerit tibi
[hic omnis laqueus mortis, num requiescebas, aut reticebas,
cum septies die et septies nocte psalterium Davidis repeteres,
et cum aresceret tamquam testa virtus tua [3] a voce gemitus
[tui [4] precatione et ieiunio?
Quis est tibi similis, o praeceptor pacis,
tibia laudis Filii Mariae?
Num quis, nisi Cherubim et Seraphim contemnens aut resistens
[veniet pede superbiae ad hunc Aelam,
ubi coacervata sunt ossa iustorum, ad montes cavernosos et
[arbores venerandas.

Cfr. *Ps.* XLI (XLII), 4-10. — [2] *Ps.* CXXX (CXXXI), 2. — [3] *Ps.* XXI (XXII), 16. — [4] *Ps.* CI (CII), 5.

Ubi coacervata sunt ossa tua, est possessio et divitiae hono-
[rabiles inopiae mei, servi tui imbecilli,
nomen quod pluris quam aurum et gemma aestimatur.
Et qui seductus vult rapere e labore manuum filiorum tuorum,
[qui faciunt memoriam tuam in aeternum:
finem viae suae adspiciat in medio inferno et induat maledi-
[ctionem [1]
rami et radices eius securi orationis tuae exscindantur.
Domus sanctuarii tui sit cum lucernis suis, lucens, sicut can-
usque ad alterum adventum tuum [2]. [delabrum
Amen. Amen. In saecula.

Surgite, filii lucis, in pedes cogitationis vestrae, ut *veniatis p. 144.
et videatis *locum*, in quem relegatus est Aaron, magister ve-
ster, regionem sitis et sudoris, terram desolatam, terram ca-
loris et aestus, civitatem periculorum et angustiarum, ubi desunt
arbor et aqua, ubi non apparet herba, nec humus, nec animalia
deserti, nec bestiae agri, nec volatilia caeli, nec ventilat eam
ventus, sed sicut flamma exit terrae huius aestus.

Si veneritis illuc, videbitis ibi regionem cruciatus,
quae nunc regio quietis facta est. [tionis.
Quae tunc erat civitas tentationis, nunc est hortus germina-
Recordantes quomodo transierint super patrem vestrum cru-
[ciatus ei adiudicati et undae procellae fluctuationis
tempore duorum regum,
et penetrantes animo in labores migrationis eius,
fami et siti adhaesionem eius,
et intestina eius sicut folia ficus tosta,
flete et plorate, dicentes: « Pater, Pater, praeceptor pacis nostrae,
ad constantiam certaminis tui confugimus,
te solum acquisivimus;
ad Deum tuum, sicut manubias, nos adduc:
tua enim est vestis haec et schema, nobis induta;
gratia et benevolentia nobis per te datae sunt.
Pro exsilio tuo iniusto nobis est requies in hoc sanctuario tuo,
pro tua paupertate et egestate nobis sunt *omnia* quae volumus
[et quae nobis sufficiunt,

[1] *Ps.* CVIII (CIX), 17. — [2] *Sic!* Quod valde mihi dubium.

p. o dispersione monachorum, patrum nostrorum, sumus quiete
[et gaudio affecti omnibus diebus vitae nostrae,
pro mortibus sororum nostrarum monacharum,
et pro corporibus earum in deserto, ubi defuit qui sepeliret
[ea relictis,
te, pastore earum vincto,
et cum fratres earum per vim deducerentur,
cum deesset qui susciperet collapsum et mortuum, qui sepeliret
p. 145. [eos, sed tantum vivos *propellerent,
et pro dispersione sociorum tuorum et tuo labore pro nobis,
requiem et tranquillitatem, dum vivi simus, [habemus
et magnam spem habemus tempore mortis nostrae.
Ubi accumbis et dormis, columna lucis nostrae,
pone sepulchrum tuum positum est nostrum.
Tua arca legis et crux sunt ante te, aroma cognitionis tuae
[et odor suavis sacerdotii nostri.
Plena est ecclesia suffimenti monachatus tui, et myrrha laudis
[tuae scaturit ex ore iustorum nostrorum.
Quantum est gaudium, quanta laetitia, data nobis propter te!
Sub gremium animae tuae consocia animas nostras.
O pater, serva nos et custodi nos a generatione hac in aeternum [1],
in saecula saeculorum. Amen.

Nunc autem, captivitas [2] Aaronis, audias librum certaminis eius
[et verbum vocis eius sine dubitatione aut haesitatione,
in oratione magistri tui sperans,
ausculta et mirare omnia quae fecit ei Deus.

Abduxerunt igitur milites sanctos martyres in terram Zango, in fines Astran, iuxta Darā et Bosāto, contra Lēmā; prope ab fuit ab iis Gŭāter, et *lacus* Zewāy conspicuum se e longinquo praebebat. Imperium ibi tenebat g a r ā d Bali *provinciae*. Induxerunt huc Aaronem mirabilem et dixerunt ei: « Noli declinare nec in dextram, nec in sinistram:

invenies enim fodiendo abundantiam d ā b o et n a t r ā [3]
Sapor huius civitatis est amaritudo aestus,
et non invenitur *in ea* aquae vestigium.

[1] *Ps.* XII. 7. — [2] Scil. sectatores. — [3] Suffimentum quoddam. V. GUIDI, *Vocab. Amarico-italiano*, 388.

Dimidia autem pars eorum dixit: « Deus in quem creditis et in cuius manus vos tradidistis, ipse de vobis sollicitus est, nec a vobis recedet, et vos qua est potentia, consolabitur ». Et constituti sunt custodes exploratores, qui viderent statum interitus mortalis sanctorum. In rupe illi consederunt. *Collocuti sunt p. 146. inter se sancti: « Quid fiet nobis, et quomodo hodie pernoctabimus? non manebit anima nostra cum corpore nostro: ecce septimum diem non invenimus potum; oblitae sunt fauces nostrae humiditatis aquae et latuit saliva ex ore nostro ». Et dixerunt Aaroni mirabili: « O pater, custos animarum nostrarum et pastor corporum nostrorum! Valde ceciderunt vires nostrae, morti appropinquamus. Quousque erimus sicci, sicut testa? Melius est iis, qui hasta mortui sunt. Nihil est hoc itinere peius, nisi infernum durum ». Et surrexit Aaron mirabilis, et extendit manus suas, et elevavit ad caelum oculos suos, et precatus est ad Deum, dicens: « Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? [1] Quamdiu ponam dolorem in corde meo [2] *in* tali regione? Planctum, qui fluit super me, respice, Domine, ne sileas. Veni ad me propter nomen tuum sanctum. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam [3], ne dicant mihi homines: ' Ubi est Deus eius? [4] Videamus, unde bibiturus sit in siti sua, sed potius omnino excussus est '. Domine, Deus virtutum, quis similis tibi? Tui sunt caeli et tua est terra [5]. Si vis, facies misericordiam tuam in me: nihil tibi impossibile. Ego autem semper sperabo et adiiciam super omnem laudem tuam [6]. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me et confundantur [7] ».

Tunc iuvenilem vigorem in Spiritu sancto recepit, et baculo suo accepto, obsignavit signo crucis et transfodit petram semel, et bis, et in tertio ictu scissa est, et late aperuit os suum. Et exiit aqua frigida, currens sicut fons fluminis, et fluxit supra petram Zango iuxta Āsteran. Tremuit tota congregatio sanctorum: videbatur iis somnium esse se desiderium animarum suarum reperiisse. Postquam hoc falsum esse apparuit, *surrexe- p. 147. runt omnes omnino et benedixerunt Domino voce aperta. Et dixit Aaron mirabilis: « Filii mei, priusquam bibitas, benedi-

[1] *Ps.* XXI (XXII), 1. — [2] *Ps.* XII (XIII), 2. — [3] *Ps.* CXIII, 9 (CXV, 1). — [4] *Ps.* LXXVIII (LXXIX), 10. — [5] *Ps.* LXXXVIII (LXXXIX), 8, 11. — [6] *Ps.* LXX (LXXI), 14. — [7] *Ps.* LXXXV (LXXXVI), 17.

cite Deo pro iis quae fecit vobis ». Et bibit congregatio Christi sponsi uncti, et valde potu satiata est. Deinde surrexerunt et se in facies suas prostraverunt, et gratias egerunt Deo, magna voce dicentes: « Munera *offeramus* Patri, Filio et Spiritui sancto! Munera Creatori caelorum et terrae, regi universi mundi! Munera ei qui egenos exaudivit et non sprevit lacrimas! Munera ei qui satiavit esurientes et potavit sitientes! Munera ei, cuius thronus est aer et scabellum pedum terra! Munera ei qui respicit nos, nec dereliquit nos! Munera, munera ei qui accepit nos oppressos et non reiecit peccatorem! Munera ei qui transfodit petram baculo servi sui sacerdotis! Munera, munera ei qui fluere fecit e petra fontem aquae purae! Munera ei qui potu satiavit animam in terra sitis sicca! Munera! Mitte nobis, Domine, Spiritum sanctum tuum, qui servet nos neque eripiatur nobis, quod nobis dedisti ». Vere adimpletum est verbum prophetae: « Timeat Dominum omnis terra [1] », timuit petra nomen Creatoris sui terribile, et aperuit latus suum spissum et durum. Et descendit verbum Dei, quod exiit ex ore Aaronis sacerdotis, et intravit usque ad abyssos; et locutus est hic verbum mandati, et fecit aquam per latus petrae durae ascendere, ubi insolitum erat ei penetrare. Et biberunt ex ea servi Dei, et gavisi sunt.

Audivit petra verbum Dei, et detexit latus suum spissum,
et dedit abyssus aquam mandati, et eduxit eam per petram aper-
[tam, ut potu satiaret iustos eius.
Homines autem adspernantur mandata Dei, et aures suas sur-
[das faciunt,
et ne videant salutare Dei nostri, hebetant oculos suos.

Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem [2]. Quid est homo, quem exspectat ignis et ad quem devorandum in mari ignis medio vermes et serpentes habitant? Sicut dixit propheta: « Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut umbra praetereunt [3] ». Spiritu carens cognovit Creatorem suum, et emisit aquam verbo victore militis eius.

Deinde, altero die mane dixit iis Aaron mirabilis: « Nunc succingite lumbos vestros, filii mei et laborate, ut afferatis e longinquo humum in palliis vestris, et videamus iterum magnificentiam

[1] *Ps.* XXXII (XXXIII), 8. — [2] *Ps.* LXXXVIII (LXXXIX), 48. — [3] *Ps.* CXLIII (CXLIV), 4.

*Dei, quem faciet in nobis: dedit enim nobis hanc petram in hae- p. 148.
reditatem ». Surrexit congregatio sanctorum et attulit e longinquo humum, quam in petra sparsit. Venerunt praefecti montium, ut adiuvarent eos, et coeperunt unguibus fodere suis et auferre humum, quem sancti portabant et spargebant super petram, et impleverunt eam humo. Cum vidisset Aaron mirabilis petram impletam esse humo, et instar montis arvum magnum factum, dixit: « Portate e saccis vestris omnes fructus hordei, allii et porri, aut amygdali et coriandri ». Et precatus est et benedixit *huic* in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, unius Dei, et plantavit amygdalum et unum germen vitis. Fecit idem tota congregatio, et sparsit grana fabarum et ciceris arietini et lentis et tritici, et seminaverunt omnia in humum petrae Zango in finibus 'Estrin [1]. Fecerunt et ductus aquae, quae sata irrigaret.

Et erat Dominus cum Aarone, oppresso apud homines et honorato apud Deum, reiecto apud reges terrae et accepto apud Altissimum, sicut sacrificium pingue, quia valde laudi regni eius animum intendebat.

His diebus viridis factus est locus exilii sanctorum patrum nostrorum, et pullulaverunt vinea et amygdalum, allium et porrum, coriandrum et faba marina, hordeum, cicer lensque. Factae sunt spicae uno tempore. Messuerunt fructus laboris sui. Et anno post floruit vinea et amygdalum et dederunt fructus florum suorum. Et facta est terra Zango in Asteran hortus et seges *ad* rivum, et germinaverunt in ea mandragorae et musae.

Misit abbas Aaron mirabilis tres filios suos ad regem, dicens eis: « Ite, date regi haec dona ». Et attulerunt regi amygdalum et allium et porrum et varias spicas, et dixerunt ei: « Haec dicit pater noster: ' Ecce dona regi harum terrarum Zango et Dārā ,. Dicit pater noster Aaron mirabilis: ' Accipe vectigal tuum ex illis, quae dedit nobis Deus in summa petra, non caesa , ». Hoc miraculo viso, rex *perterritus et corde tre- p. 149.
pidans, cepit amygdalum manibus suis, et odoratus est suavem *odorem*. Et miratus est opera Dei grata in sanctis eius, et interrogavit de omnibus, quo modo facta sint. Narraverunt ei quo modo scaturiisset aqua precatione Aaronis mirabilis. Dixit rex fortibus suis: « Ecce praevaluerunt et fortiores nobis facti

[1] *Sic!*

sunt monachi. Quid faciemus eis? Friguit eis flamma ignea, fluxerunt eis fontes aquae, adoraverunt eos leones. Quid faciemus illis, aut quo deportabimus eos, quia pudore affecti sumus nuditate et doctrina eorum ». Dixerunt electi regis: « Deus illuminet tibi intima oculi cordis tui ».

Deinde, septem annis elapsis, misit rex epistulam ad abbatem Aaronem mirabilem in regionem depressiorem aestus, dicens: « Pax vobis, congregatio Dei misericordiae, viri electi, gens sancta! Cogitate, quaero, et indicate. Habitastis lege patrum vestrorum et habitabitis in terra regia. Orate *pro me* in terra patris mei tempore proclamationum et adorate me. Cur obiurgatis et vituperatis insolenter eum qui sedet et regnat in throno universae Aethiopiae? Nonne lapidat et ense percutit sibi adversantes? Nunc autem nolite pro malo, quod feci vobis, malum mihi retribuere, sed precamini pro me, ut Dominus Deus vester viam paenitentiae monstret mihi. Tu, o praeceptor legis electe, miracula et ostenta faciens, qui mihi videbaris sicut homo mecum contendisse, et quem nunc cognosco fidelem et dilectum esse Dei, noli mihi in oratione tua maledicere, sed surge et i in civitatem tuam, ut pacem faciamus, et viam paenitentiae mihi monstres ». His auditis, abbas Aaron magno gaudio affectus, dixit: « Laus Deo, qui me visitavit hodie et non evacuavit gloriam meam apud se [1]. Nonne educet me ex hac regione depressiore fletus et morbi antequam filii mei morbo consumantur? » Eo die surrexit abbas Aaron et convocavit congregationem suam et dixit ei: « Colligite omnes urceos ve-
p. 150. stros, et nolite relinquere baculos *fratrum vestrorum in deserto mortuorum ». Et precati sunt apud ecclesiam, in Dārā et Zango aedificatam, et manserunt ibi monachi et sacerdotes, quibus benedixit, et abiit in pace. Die octavo venerunt ad flumen Ḥāwāš, et sanctus abbas Absādi, discipulus abbatis Aaronis, ibat a dextra parte eius, et cum eo Philemon et Timotheus, Basilius et Paulus et multi monachi, sustentantes eum circa. In medio eorum Aaron canus, ibat sicut rex apium. Cum transirent flumen, dixit Absādi: « Pater, nonne hic, nobis antea transeuntibus, corrui et lapsus sum offendiculo lapidis, in medium flumen, et excidit psalterium Davidis e manibus meis, et deci-

[1] Cfr. I *Corinth.*, IX, 15.

dit in hanc abyssum. Et elevavit Aaron baculum suum et demisit in abyssum, dicens: « Tandem! » Ridebant filii eius et dixerunt ei: « Pater, septem anni elapsi sunt, num postulas, ut flumen librum reddat? » Respondit iis mirabilis: « Num est quid Deo impossibile? » Et reduxit Aaron baculum suum, in abyssum demissum. Et exiit baculus, in extremitate sua tenens laqueum laxum vaginae libri, super aquam natantis; et attractus est *liber* extremitate baculi eius ad testimonium. Iacuit liber in intimo flumine septem annos, cum non potuissent opprimentes movere eum fluctus septem temporum pluviarum. Cum autem venisset dominus et petiisset eum, surrexit e loco suo, et in extremitate baculi domini eius mirabilis pependit. Excepit abbas Aaron librum Davidis, et sigillo vaginae eius soluto, aperuerunt eum, et inspexerunt scripturam eius, et reperta est salva, membrana nitente, et imaginibus (?), calamo a scriptore litterarum perito factis, non deformatis. Premebant sese invicem congregationis sanctae socii, ut viderent et osculaerentur eum; videbatur liber animis iustorum similis. Deinde benedixerunt Deo iustitiae, et extulerunt laudibus Dominum, quia fecerat illis miraculum stupendum.

Deinde abierunt et venerunt ad regem. Nunciatum est regi adventus praeceptoris legis mirabilis et inventio libri in medium flumen lapsi. Dixit rex: « Qua facie *obviam veniam p. 151.
illi, cum me faciei illius pudeat? » Et surrexit e throno suo. Et intravit sanctus coram rege. Cum rex eum vidisset, magno terrore affectus est. Iecit Aaron mirabilis baculos sanctorum D numero ad pedes regis et dixit ei: « Ecce tropaea regni tui, baculi sanctorum ad numerum ipsorum, qui defluxerunt sicut folia in terram desolatam et quorum corpora relicta sunt bestiis et vulturibus ». Hoc viso, tremuit rex et prostravit se ad pedes eius et osculatus est vestigia eius et dixit: « Pater, pater! ignosce mihi propter Deum omnia mala, quae tibi feci ». Et lavavit pedes eius lacrimis suis. Dixit pater noster: « Remittat tibi Deus omnia, quae peccasti erga nos. Remittimus tibi, Dei gratia, quod cruciasti et relegasti et necasti nos. Deinde, altero die oravit mirabilis Aaron pro rege. Attulit rex dona patri nostro: aurum et vestimenta pretiosa, et non convertit se pater noster ad bona eius. Collocuti sunt iusti inter se: « Num accipiemus retributionem pro sanguine fratrum nostrorum, in exilio mortuorum? ».

Abiit pater noster e Hol'o et venit in civitatem Dawent tempore horae sextae. Cum eam transgressi essent, declinabat sol, et dixit Aaron: « Cum ego servus Dei sim, et filii mei eius oves, stet paullulum sol in itinere suo, neque acceleret cursum currus sui, quoad in domicilium nostrum, Dabra Qaṭin, revertamur ». Et factum est ita. Et reversus est Aaron mirabilis in Dabra Qaṭin e civitate relegationis suae septimum post annum cum magna virtute et miraculo, sole diei eius causa stante. Obviam ierunt ei senes parvulique fideles, viri feminaeque, dicentes: « Reversus est Aaron, luce ornatus ». Et erat gaudium magnum in finibus universae Maqet. Et adscendit pater noster Aaron mirabilis in montem Qaṭin cum discipulis suis, hora undecima, et intravit quisque in cellam suam, et invenit titiones igneos fumantes, quos cinere antea operuerant, cum per-
p. 152. secuti abducerentur. Invenerunt etiam panes, in *sartaginibus positos, cum ignis sub his arderet, et fermentum gigur arderet super has [1]. Et incaluit tota Dabra Qaṭin, et bene olere coepit sanctuarium suffimento turis et sacrificii, sicut antea. Et omnis ordo congregationis, bene dispositus, sicut nunc fit *per* annos eius exstabat [1]. Collocuti sunt inter se sancti: « Nonne mirabilis est Deus in magnificentia sua? » Quia invenerunt ollas ferculi, cum bullirent folia olerum . . . [2] neque exaruerant, sicut condita erant eo tempore. Deinde properaverunt parare et dederunt sancto.

Et manducaverunt et saturati sunt nimis [3], et gavisi sunt pa-
[nibus illis,
in sartaginibus inventis, cum septimo anno e civitate exilii re-
[versi essent.
Et accenderunt ignem, quem in exilium abeuntes operuerant.
Et collocuti sunt inter se de salutari Dei, qui dedit iis virtu-
[tem et potestatem super omnia opera benedictionis.

Post hos dies surrexit Aaron mirabilis et profectus est in civitatem Gambaỵā, ubi exstruxit ecclesias: Arātē et Dabra Mātāỵa et Dabra Māryām in Gunā. Et constituit ibi abbatem supremum, et baptizavit myriades populi, et in Dabra Qaṭin

[1] Mihi obscurum. — [2] Textus corruptus esse videtur. — [3] *Ps.* LXXVII (LXXVIII), 29.

reversus est. Dabra Dārēt autem ignorabatur adhuc. Accessit pater noster Aaron mirabilis ad feminam quamdam aegrotam, daemonium habentem, et dixit ei: « Christus faciet te sanam! » Dixit illa: « Te autem Deus adducet in hunc montem, qui continebit totam congregationem tuam, et in quo accumbes, postquam vocatus eris ». Tum adscendit Aaron mirabilis cum filiis suis, perdice alba ductus. Et exploravit Dabra Darēt, et circumivit totum locum, et commoratus est metiens et depurgans eum quo aperiet portas eius [1]. Tertio anno post finivit opus excavandi et intulit tābot Mariae, et obtulerunt ibi sacrificium laudis, et nominavit eum Dabra Fārān, quod significat Requies Dei. Et habitabant ibi usque ad diem pestis, quae fuit in Aethiopia et messuit terram.

*His diebus surrexit abbas Aaron mirabilis et profectus est in p. 153.
Gambayā, ut visitaret ecclesiam et fideles suos. Et properabat reverti, quia appropinquabat *obitus eius* et praeteribant dies eius et venit ad eum vox Dei, dicens: « Ecce venit tempus migrationis tuae ex hoc mundo, ut requiesceres a labore et fatigatione, a frigore et nuditate et maerore et fletu, a vigiliis et lacrimis, a fame et siti, a clamore precationis per dies et noctes, a trepidatione cordis propter vocem irae regum: venit enim tempus requiei tuae ab omni hoc labore et afflictione, ut videres arvum fidei tuae, in quo satus est fructus precis tuae ». His auditis, succinxit sanctus Aaron lumbos suos et perterritus est voce vocantis eum Dei, regis terribilis et fortis, cuius abscondita sunt consilia et definitum verbum, cuius in manibus comprehensa est anima creaturae eius.

Cum cognovisset pater noster obitum suum, profectus est in Dabra Fārān, et, cum iret, narrabat fratribus suis de spe vitae, sibi in caelis, praemii laboris et vigiliarum suarum, paratae. Et dixit eis: « Audite, filii mei. Ecce ego, pater vester egenus, ubique tentatus sum et a regibus terrae spretus sum, et praeterierunt dies vitae meae in maerore et dolore gravi. Certavi toto corde meo ad modum virtutis meae, cum dilectionem Christi sitirem. Non intermittebam per dies et noctes laudationem regni eius. Serebam verbum Dei in omnibus regionibus mundi. Vos quoque, estote imitatores mei et nolite oblivisci mandatorum meo-

[1] Textus corruptus esse videtur.

rum ». Cum audivissent fratres vocem magistri legis mirabilis, perturbata sunt corda eorum et agitata ossa eorum fletu et planctu, et dixerunt ei: « Pater animarum et pastor corporum, num proficisceris, omnes oves tuas dispersas relinquens? Nonne tristi sumus animo, nos, filii filiaeque tui? Num est alius qui possit salvos nos reddere, praeter te, pater? Cui relinquis praedam captivitatis quam cepisti, et cui remittis filios, quos genuisti? Non audient, te talia loquentem, aures filiarum tuarum monacharum. Pater, pater, noli haec dicere! » Respondit sanc-
p. 154. tus et dixit eis: « Non *voluntate mea vivo et morior, sed verbo Dei, super omnia dominantis ». Et collocuti sunt de iis quae in corda eorum venerunt et pernoctaverunt. Postero die mane surrexit, et venerunt illuc. Cum irent, dixerunt illi: « Salvusne es, pater, toto corpore tuo? » Respondit: « Sane, usque ad hoc tempus ». Cum praeterirent illuc, laesit digitos eius occulta manus et magno dolore eum affecit. Dixit pater noster: « Ecce hora temporis venit, quo calicem bibam terribilem, gustu amarum, qui bibitur aegre in tremore et trepidatione ». Perturbati sunt filii eius vehementer, neque potuerunt a fletu et planctu se abstinere, et clamabant, lacrimas amaras in facies suas effundentes. Illa hora narravit omnia de pactu misericordiae, sibi a Domino Deo suo, praemio laboris et vigilationis suae dato. Et invenit gratiam magnam, et pretio spem immensam assecutus est. Testificatus est et dixit: « Omnis qui in prece mea confidit, et sub umbra domus meae sedet, et prompto animo sepulchrum meum custodit, non peribit. Et omnes qui geniti sunt praedicatione mea et vestimento schematis mei dedit mihi Deus meus munus pro labore et exilio et sudore magno, quae mihi in hoc mundo supervenerunt. Cum audivissent adventum praeceptoris legis sanctae monachae, exierunt omnes, ut exciperent patrem suum: putabant enim *in* bona valetudine eum venire factae sunt ei, obviam venientes in itinere collis (?)... Gŭădalā, cum gradiebatur dolores patiens. Cum vidissent illae eum tristem et ex somno vacillantem, laceraverunt vestimenta sua et liquefacta sunt omnia membra earum. Dixerunt fratribus: « Quid accidit patri nostro? » Responderunt: « Nescimus. Expectate. Videamus ». Dixerunt illae: « Vos ipsi exspectate et tacete, nobis autem non est exspectatio et neque virtus, patre nostro deficiente. Et concurrebant certatim, et decidebant cum

eo euntes. Cum ad cisternam aquae venissent, descenderunt de monte multi sancti *et* proceres, nobiles genere *et* obviam iverunt praeceptori legis, quem invenerunt aegrotantem, Trepidaverunt magna trepidatione, neque potuerunt se abstinere, cum viderent inefficacem factam esse vim eius, et oculos eius palpebris operiri, et in morte obdormire volere. *Pedes autem p. 155. eius ibant et ascendebant ad lectum suum Dabra Fārān. Cognovit congregatio sanctorum vitam [1] praeceptoris sui appropinquare, et suscepit eum manibus suis, et attulit ad portas verticis montis Dārēt. Et retinuerunt sanctae monachae monachos, ut requiescere sanctum magistrum facerent, donec se consolati et dimissi (?) sint contemplatione faciei eius, quam non visuri sint amplius. Et fecerunt eum in porta Iudicii [2] requiescere. Et consolatus est omnes iudicio omnium Apostolorum, et recta facta est vox eius, et dixit: « Nolite timere, filiae meae, sed gaudio et laetitia affectae sitis, quia spem in caelis habemus. Sedete hic, neque declinamini a loco patris vestri usque ad mortem ». His dictis, operti sunt oculi et palpebrae eius. Et obdormivit et requievit die quinto mensis qui aegyptiace [3] maharam, vocatur, die octavo mensis, a Romanis september nominati, die quinto mensis maskaram ab Aethiopibus. Et obiit in pace, in benevolentia, in gratia Dei, cui gloria in saecula saeculorum. Amen. Amen.

Intulerunt sanctum in ecclesiam Dabra-Dārēt cum gloria et laude, cum voce cantus et ture sacerdotum. Et sepeliverunt eum apud altare sacrificii, ubi excavare curaverat. Oratio et preces et benedictio oris et gratia benevolentiae et potentia salvationis et pulcritudo fidei et donum iuvaminis et efficacia promissi huius patris nostri Aaronis mirabilis sit nobiscum, et custodiat nos, et protegat nos, neque derelinquat nos in mundo caduco, sed gubernando dirigat nos ad portum paenitentiae et salutis, et adducat ad arborem suaviter olentem rationalem, scriptorem eius Philotheum, et eum qui *hunc librum* scribendum curavit, Talāwē-Krestos, in saecula saeculorum. Amen.

Flebant et plorabant planctu magno propter mortem Aaronis, magistri honorati, qui fecerat portenta et miracula. Et lamentabantur, dicentes:

[1] *Sic*, euphemistice dictum. — [2] Apparet nomen esse cuiusdam e monasterii portis. — [3] Id est arabice.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL
ST. MICHAEL'S
COLLEGE

Pater, pater, sol praedicationis, praeceptor legis et ordinis,
vir perfecte, Apostolorum fili,
luce splendens et fulgens, lucernae candelabrum!
p. 156. *Num in sepulcrum descendisti et in pulverem revertisti?
Tacet os tuum a psalterio canendo et sedata est lingua tua ab
et occlusi sunt pedes tui manu mortis. [oratione dicenda.
Pater, pater, sacerdos Evangelii, myrrha uncte,
quis est similis tibi, gloriae tibicen, ex omnibus monachis,
labore et abstinentia indute, martyrum sectator?

Postero die surrexit mane universa monacharum, filiarum praefectorum et mulierum iudicum congregatio, quae honorem et divitias deseruerant, et genus et liberos spreverant, et adscenderant et venerant ad portas monasterii. Flebant et lamentabantur et deplorabant Aaronem, patrem suum, dicentes:

Pater, pater, gratia et gloria nostra!
Num abis, nobis relictis?
Pater, pater, pater, num verum est quod attinet ad mortem tuam?
Ad quem ibimus, et quo revertemur, et quo caput nostrum re-
[clinabimus?
Non enim possumus, neque assueti sumus cum alio praeceptore
[*esse*.
Pater, pater, veni semel, ut loquamur tibi quae in corde no-
[stro sunt;
si non, melius est nobis, ut eadem via, qua profectus es, nos
[excipias.
Pater, pater, gaudium cordis nostri et vestimentum nuditatis
[nostrae,
baculus in lassitudine nostra et divitiae in egestate nostra,
consolatione vocis tuae omnis tristitia nostra oblivioni datur.

Et expleti sunt dies planctus propter patrem nostrum Aaronem mirabilem. Benedictio eius sit in nobis. Amen.

*Dixit Sarṣa-Wangēl: Prospera, Domine, animabus et corporibus nostris, ut requiescat in nobis benedictio Antonii et Macarii, abbatis Senutii, Cyri, Besoi, Latzuni, Paphnutii; benedictio Abibi et Onuphrii et abbatis Pisentii; benedictio Petronii, Arsenii et abbatis Hēroclā, benedictio abbatis Agathonis et Magder et Barsomae, Macarii et Horio qui est cum Baamino et Herma. Benedictio Bawmin, Bakimos et abbatis Darmā, Mardālē et Iohannis-Kamā. Benedictio Dometii et Maximi, Hendarā, Honfar et Basentēwos. Benedictio Hilarionis, Latzuni et Palaemonis. Benedictio Theodori, Simeonis, Dēganā et Ammonii e Touna [1]. Benedictio Iohannis Colobi, Senutii et ʿOṣ. Benedictio Pauli et abbatis Fawli, Watros, Baṣim, Iohannis et Samuelis e monasterio Calamon, et abbatis Aboli. Benedictio Danielis et Honorii, Aaronis, Heraclidis. Benedictio Nabiyud, Iacobi nisibensis, Maqābis et Yāsay, Gabra-Krestos et Sebastiani. Benedictio Marci tarmicensis, Abrahami et Gargā et Iohannis, cuius Evangelium est aureum [2]. Benedictio Qaniqos et Askanāfer et abbatis Agapeti (Agābāṭos), qui in pulvere edendo patiens fuit. Benedictio Pantaleonis, Alēf et Garimā, Yemʿatā et Gubā, Liqānos, Aragāy, Afṣē et abbatis Ṣeḫma. Benedictio Langenos, Laqiyos et Martiani, Abrahami, Ebloy et Zosimae et Moysis obscuri, Libanii Maṭāʿ et Ammoni. Benedictio Danielis, abbatis Bulā et abbatis ʿOf et Rawaḥ, Abrahami diaconi et Nathanaelis, qui amovebant e via lapides per totam noctem. Benedictio Marci, qui genua Dei amplexus est. Benedictio Iacobi, qui herba vescebatur, et Amos, et Simeonis antiocheni, Barsomae e Qalāwdyā. Benedictio Beniamin et Sisāwres, Zonasis et Ilan, Theonae et Poemeni, Nabadros et Serapioni. Benedictio Calebi et Absādi et abbatis Anbasā. Benedictio Benyāmi et Severi, Minae, Matthaei. Benedictio Theophili, Georgii, Ephraemi, Cyrilli, Basilii, Athanasii. Benedictio Nathanaelis et Rapāelis, Elālo et Gabra-Masqal. Benedictio patris *nostri Iyasus-Moʾa, Baṣalota-Mikāʾēl et Takla-Hāymānot, Philippi, Elisaei,

p. 157.

p. 158.

[1] Qonā per mendum scriptum. — [2] Iohannis Calybitae. Vide Synaxarium aethiop. sub die XVI mensis Hamlē.

Theodori et Andreae, Iohannis Kamā et Marḫa-Krestos, Benedictio Honorii et Damiani, Honorii (Anoryos), Nathanaelis, Iohannis et Matthiae et Matthaei, Gabra-Nazrāwī et Gabra-Amlāk, Maba'a-Ṣeyon et Garimā, Gabra-Manfas-Qedus et abbatis Ioseph et abbatis Fere-Masqal, Andreae e Walaqā, abbatis Bag'u et Krestos Ḫarayo e Ḫayq. Benedictio abbatis Thaddaei e Dabra-Lagaso, Gabra-Masqal. Benedictio Eustathii et Philippi et Philemonis e Tamben et Iohannis et omnium stellarum *monasterii* Bizan. Benedictio Aaronis et Iohannis e Galila, abbatis Samuelis e *monasterio* Halēlo et abbatis Saraqa-Berhān ex Alaguēn, et Gabra-Maryam, abbatis Adhani et Samuelis Waldebani. Benedictio Yāfkerana-Egzi'e et Simeonis et Zachariae, Iacobi ex Agona. Benedictio Habacuc et Ezrae, Timothei e Qarodā et Sanutii et Iohannis Kamā ex Aged. Benedictio Yasay et Cyrilli et Tanse'a-Madḫen, XLVII martyrum et Philemonis ex Abregut. Benedictio Basilii et Andreae et omnium iustorum, qui sunt in Azāf, et benedictio omnium certatorum monasteriorum *terrae* Enfraz et Tegrē. Benedictio iustorum e Dabra Degūē et Kadih, Ḫawzen, beatorum terrae. Benedictio iustorum e Waḍif et Acorēn, Qŭă'āt et Dabra-'Āṣā, perfectorum. Et benedictio huius patris nostri Aaronis mirabilis, gratia favoris filiorum eius Antonii, Damiani, Gabra-Nazrāwi, Andreae, Iohannis Kamā, Iyāsu, Samra-Le'ul, Zēnā-Mārqos, Habta-Māryām, Berhāna-Masqal, Nabutē, 'Asrāta-Māryām, Mabā'ā-Dengēl, Gabra-Krestos et Iohannis, praeceptoris legis, qui hoc certamen spiritale denuo e vetere volumine transcribendum curavit.

Benedictio horum praepositorum
et martyrum, repositorum
in Dabra-Fārān,
sit in hoc loco.
Et benedictio prophetarum et apostolorum et martyrum victorum ne recedat ab eo, tabernaculo iustitiae eorum, in saecula saeculorum. Amen. Et amen.

*VITA ABBATIS IYĀSU

p. 159.

In nomine Dei, cuius est inenarrabilis natura
et cuius altitudo non attingitur mente,
cuius Trinitas ab origine mundi est coniuncta,
cuius indivisibilis essentia sine commixtione est unita.
Tres personae et tres hypostases et tria nomina, non plus neque minus, sedent coaequales in throno eius sancto.
Unum regnum et unum iussum, in una mente et in uno consilio est auctoritas iudicii eius.
Pater est lux, Filius et Spiritus sanctus uniti sunt ei.
Filius est Verbum Patris, et Spiritus Sanctus consociati sunt ei in Verbo.
Spiritus sanctus est vita Patris et Filii; Spiritus sanctus et spiritus vitae coniuncti sunt in eo.
Talis est institutio Trinitatis in throno dignitatis eius.
Non moritur neque abrogatur, neque praetereunt dies eius,
Quae bene composuit et texuit universum e nihilo, sine tactu manus, verbo suo,
Quae extendit caelum et caelum caelorum et firmavit vim eorum halitu oris sui.
Et posuit ibi solem et lunam et stellas, ut lucerent,
et spissavit terram supra vim ventorum et aurae et cursum aquarum, quem vident oculi eius.
Quae occlusit abyssum et obsignavit *spiritus* terribiles sub ea.
Magna est potentia eius, mirabilia opera et nimis profundae cogitationes eius.
Huiusmodi regem adorans,
et ad eum animam meam elevans,
scribam breviter certamen laboris viri sancti abbatis Iyāsu et narrabo spicilegium vitae eius coram congregatis, adstante Zēnā-Marqos, filio et sectatore eius, qui perficiebat omnes voluntates eius, et testis fuit, quomodo corpus suum temperantia induebat, et quomodo iugum crucis Christi humeris suis portabat,
*cum similis esset Iacobo, fratri Christi, a Maria educato et in sapientia et timore Dei instructo, qui perseveravit in statione, donec intumuerunt pedes eius, et in cuius verticem nunquam ascendit novacula, et qui nunquam vinum aut carnem labiis suis gustavit. Et hic quoque ab utero vocatus est ut ecclesiae

p. 160.

administrator et regni caelorum sponsus esset. Sub tutela monasterii relictus est, et exceperunt eum sancti per voluntatem Dei, ut scriptum est: « Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me [1], in loco pascuae collocet me, super aquam refectionis educet me » [2]. Et iterum dicit: « Custodiens parvulos Dominus » [3]. Et iterum dicit: « Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt » [4]. Pars praestantissima prophetiae perfecta est in abbate Iyāsu, qui mihi magister fuit. Dicam vobis ordine narrata mihi ab iis qui famulati erant ei iussu eius et viderant eum certantem, cum immobilis staret, ita ut putruerit cutis corporis eius et deciderint segmenta cutis eius, sicut arboris siccae, senio confectae. Et collegerunt segmenta cutis eius in marsupiis, et posuerunt sacculos ad tempus consummationis dierum eius, ut una cum corpore eius mortuo sepelirent. Et flebant et plorabant, cum viderent pedes eius saccorum inflatorum instar intumuisse. Et pessima erant ulcera eius, et decidebant vermes ex vulneribus eius, et ibant in terra sicut formicae. Reducebat eos abbas honoratus assula lignea, dicens: « Quo? quo? Revertimini in domicilium vestrum, ubi paratus est cibus vobis, ne moreremini aestu solis, aut ne vos volucres caeli comederent [5]. Erat autem mos avibus, ut cum abbas Iyāsu e cella sua exibat et paullulum foris sedebat, venirent multae aves utrimque in sepimento domorum et, cum homines metuerent, descenderent in terram et accederent ad pedes eius, ut vermes collegerent e vulneribus corporis eius exeuntes. Sanctus autem abbas Iyāsu gaudebat corde suo et laetabatur, cum cogitaret et videret aves vermibus e vulnere corporis eius exeuntibus vesci, et dicebat:
p. 161. « Nonne misericordia est *mihi hoc a Deo, quia corpus meum sunt hi vermes qui nascuntur in membris meis: cum sanguis meus turbatur, formantur e me ». Beatum praedicabant eum omnes homines, cum viderent constantiam patientiae eius in statione, quod ita adauxit, ut peius factum sit corpus eius membris Simeonis Syriaci, qui stabat in capite columnae. Et Iesus Christus, redemptor et salvator noster, elevavit et nutrivit sanctum abbatem Iyāsu pane sapientiae et aqua cognitionis, et aluit eum vino prudentiae et lacte consilii, et calefecit eum igne

[1] *Ps.* XXVI (XXVII), 10 — [2] Cfr. *Ps.* XXII (XXIII), 2. — [3] *Ps.* CXIV (CXVI), 6. — [4] *Ps.* XXII (XXIII), 4. — [5] Ad v. collegerent.

amoris sui, et non refrigeravit *eum*, et monstravit ei viam vitae et aperuit ei portas omnium librorum suorum, ut ederet fructus paradisi eorum et irrigaretur fluviis eorum, qui non exarescunt. Deinde, cum adolevisset, cognovit et certum scivit non habere se alium patrem et matrem, nisi Iesum Christum et hanc sanctam Ecclesiam, et matrem eius Mariam, electam electorum. Attractum est cor eius et seductum amore divino, iuravit Domino, votum vovit Deo Iacob, se non daturum esse somnum oculis suis et palpebris suis dormitionem et requiem temporibus suis [1].

Et accinxit lumbos suos cingulo virginitatis,
et vixit corporis desideriis superior,
et stabat coram Deo non commotus
afflictionibus stationis, membris eius turbatis
ita ut vescerentur aves vermibus vulnerum eius.
Et precabatur assidue, aquam lacrimarum effundens,
et prosternebat se rotae instar, vigoris sui debilitandi causa,
[adeo ut aegrotaverit cerebrum eius,
cum quaereret faciem Dei et eum oraret,
donec e terra eum suscepit et sursum elevavit.

Preces et benedictio huius sancti abbatis Iyāsu conservent nos in saecula e manu serpentis diaboli, qui procella opprimit navem animae nostrae, in saecula saeculorum. Amen. Amen. Et amen.

[1] *Ps.* CXXXI (CXXXII), 2-4.

p. 162. *Audite, narrabimus vobis iterum, fratres, longitudinem tentationis et exsilii, quae supervenerunt sanctis in Dabra-Dārēt, sicut retia, quae in mundum proiiecta omne genus sanctorum, piscium instar, extraxerunt. Vere irretiverunt sanctos hae tentationes e mari peccati, et induxerunt in lacum gaudii, qui est regnum caelorum. Ut dixit Apostolus: « Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit [1] ». Fuit in illa generatione post mortem abbatis Aaronis mirabilis . . . [2] Dabra-Dārēt. Expulsus est alter praepositus (mamher) et in civitatem exsilii relegatus. Et mortuus est ibi. Expulsus est etiam tertius in civitatem exsilii, in qua obiit. Et institit magnus terror et trepidatio cordis omnibus sanctis monachis, qui in Dabra-Dāret habitabant, et transportaverunt arcam (*tābot*) legis in alium locum, et deseruerunt sepulcrum mirabilis Aaronis, et diffugerunt et dissipati sunt per faciem omnium civitatum, et obierunt duo praepositi (*mamherān*): abbas Antonius labores subiens et abbas Damianus prudens, et mortui sunt in civitate exsilii sui, et spem vitae in caelis patientia et afflictione sua nacti sunt. Preces et orationes eorum adducant et introducant nos in portas salutis, in saecula saeculorum. Amen.

Congregati sunt multi monachi e monasteriis *variarum* civitatum, cum audivissent filios Aaronis propter timorem exsilii fugisse, et venerunt sancti in Dabra-Dārēt, ut custodirent thesau-
p. 163. rum pretiosum, ossa Aaronis mirabilis. Venit et abbas *Stephanus praeceptor (mamher) e regione Tegrē cum arca (tābot) Petri et *omni* apparatu sanctuarii, dicens: « Utinam relegor in terram exsilii, ut benedictionis Aaronis mirabilis particeps sim; a sepulcro eius abductus, in exsilio meo et in morte mea similis ei ero ». Et consedit in Dārēt. Et impleta est Dabra-Dārēt congregatione, collectis sanctis monachis et sacerdotibus. Et non potuit facies montis capere eos.

Post hos dies venit tempus messis, hoc est mors sanctorum morbo pestis. Et perierunt sicut messis arvi, de qua nihil su-

[1] *Rom.*, v, 2-5. — [2] Textus corruptus.

perest, ut defuerint qui sepelirent eos. Plenum erat sanctuarium cadaverum eorum, quorum numerus erat MCD. Qui superfuerunt, portis occlusis, in aliam civitatem fugerunt. Peste cessante, profecti sunt ad abbatem Salāmām metropolitam, cui dixerunt de cadaveribus martyrum, qui in exsilium profecti, mortem amaram assecuti erant. Et narraverunt ei acervum acervorum ossium esse super sepulcrum Aaronis mirabilis, solis praedicationis, thaumaturgi, novi Danielis contra leones, et alterius Azariae contra flammam ignis, et alterius Moysis, qui fluere fecit aquam e petra, et paris Iosue, qui solem stare fecit. Et dixit eis metropolita: « Nonne occlusum est sepulchrum martyris illius? » Responderunt ei: « Non est ibi locus ad intrandum aut ad pedem ponendum, prae magna angustia ossibus sanctorum facta ». Dixit iis: « Dicite mihi, quaeso, qualem aspectum habet sepulcrum eius? » Responderunt ei: « In loculo sepulcrali in medio altaris sacrificii ». Et iussit eos extrahere loculum Aaronis mirabilis, et dixit eis: « Excavate vobis sanctuarium ad dextram prioris, et ponite in eo praeceptorem legis mirabilem; illud vero pristinum, in quo coacervata sunt corpora martyrum, claudite, ne intret pes hominis, neve videat thesauros Dei, qui pluris quam aurum aut argentum aut gemmae topazi et saphiri aestimandi sunt ». Et fecerunt sicut iussi erant a metropolita, et excavaverunt hoc sanctuarium, et intulerunt in id loculum corporis mirabilis Aaronis cum honore et laude, et posuerunt tābot suum super sepulcrum eius usque ad nunc et usque ad hunc diem, in saecula saeculorum. Amen.

p. 164. *EFFIGIES SANCTI AARONIS.

Fundamento verbi statuo columnam memoriae nominis tui,
filius tuus, lingua balbus, desiderio affectus, curam adhibens.
Iuva me, Aaron, sicut est mos tibi, interpretando,
ne dicat os loquentis, cum vidit stantem:
« incipit aedificare, et non potest consummare[1] ».

Salutem nominis tui memoriae, quod cum nomine prophetae [tibi commune est,
quod nominavit os Moysis Deum Pharaonis[2],
arator crucis, Aaron! Sicut in vita tua scriptum est
ex quo in arvo certaminis aratrum cepisti,
non declinasti sulcum ne unum quidem stadium.

Salutem capitis tui capillis, qui ab unguento Absalomis abhor-
et capiti tuo, fronde crucis Lithostroti ornato, [rent,
Aaron archipresbyter, e domo gentis Phares et hominum Zarae,
cum intravisses ad Sanctum Sanctorum tabernaculi ad expian-
aspersio sanguinis precis tuae amovit tentationem. [dum,

Salutem faciei tuae, cuius lucerna est lucerna Dei,
et superciliis tuis candelabris, statuminibus lucernae corporis.
Cum fama magnificentiae tuae, Aaron, excesserit modum,
ut certamen tuum expiaret peccata omnium,
assecutus es, aspersione sanguinis Christi, potestatem.

Salutem oculis tuis, stellis firmamenti effigiei,
et auribus tuis, quarum quaestus est Evangelii praedicatio.
Cum evasissent ex ardore ignis amoris tui, Aaron,
rex Israel et populus eius, confidentes,
gloriae reditus tui ex exsilio dona attulerunt.

p. 165. *Salutem maxillis tuis, fluminibus lacrimarum irrigatis,
et naribus tuis thesauro, suffimenti crucis receptaculo,
Aaron thaumaturge, prophetae captivitatis aequalis!
Cum contemplati essent et vidissent faciem tuam, faciem Crea-
ad pedes tuos se proiecerunt leones. [toris,

[1] Cfr. *Luc*, XIV, 30. — *Sic!* Cfr. *Exod.* VII, 1.

Salutem labiis tuis, flumini fontis sanctitatis
et fructui laudis ori tuo, cuius vitis non arescet.
Percussio baculi tui, Aaron, par est baculo Ta'onim (?)
Cum tentoria tua, gens electa, in via sitis relicta essent,
e tergo petrae glabrae fontes apparuerunt.

Salutem dentibus tuis et linguae tuae mirabili,
quae locuta est in Monte Salutis Maspha decem canones,
sacerdos sanctorum, Aaron, et sacrificator mysterii magni!
Qui aemulatus est te in hac re,
cum tentoriis Dathani terra est obrutus.

Salutem voci tuae, buccinae vocationis et nunciationis,
et halitui tuo, horto, cuius odor flatus est sanitas.
Quo cum myriadibus tuis, faciem convertebas, Aaron,
eo sequebatur te ala procellae ignis Sinaitici,
et quo ibas, ibat nubes.

Salutem gutturi tuo, templo sanctitatis stupendae
et collo tuo, quod exhaustum et tenue factum est ieiunio.
Laborem exsilii tui, Aaron, regi omnis mundi
hora ultionis terribilis recordans
tolle me, hominem deperditum, sicut donum pacti *tui*.

Salutem humeris tuis, quorum gloria est ornatus rationalis,
et dorso tuo, amictu sanctitatis ornato,
Aaron archipresbyter, ad peccata mundi expianda
consecratus es e millibus et electus,
in tabernaculo crucis stas, et in precibus assiduus es.

*Salutem pectori tuo, ancorae in mari cognitionis, p. 166.
et sinui tuo, areae Abrahae, loco Lazari accubitus!
Grana certaminis tui, Aaron, quae in arvum crucis ceciderunt,
non marcuerunt, per furtum ardoris tentationis, vigore amisso,
adeo eximiae profunditatis fuit humus tua.

Salutem dico manibus tuis geminis
et brachiis tuis, paribus expansis brachiis Moysis.
Extremitas baculi tui, Aaron, ex intimis abyssi miraculi
sex hiemes postquam in eam inciderat,
librum psalterii tui salvum reduxit, custodiae eius commissum.

Salutem ulnae tuae et cubito tuo, beatioribus
cubito Davidis regis, qui spolia incircumcisorum reportavit,
planta crucis, Aaron! Tentoriis tuis sitientibus
baculus tuus *et* baculus fidei, prece tua, ambo
concordia iuncti, aquam misericordiae fluere fecerunt.

Salutem palmis tuis, mensae mannae misericordiae,
et digitis tuis, in psalterio concinnando consuetis,
constans in tentationibus, Aaron, in circuitu agri 'Estrin.
Aurum operum tuorum sit pro me sponsor in debito,
si a matre derelictus erit filius ab ea natus.

Salutem unguibus manus tuae, quorum numerus est numerus
et ornatui cilicii lateris tui, cuius lectus est cubile crucis. [iotae.
Cum iudicaverit, iudex iustitiae, Aaron, populum suum,
ardor ignis punitionis ne affligat me:
latere tuo protege me, pater!

Salutem ventri tuo, tabernaculo sapientiae permanenti,
et arcae legis, cordi tuo, a Cherubim obumbratae,
propter nuptias tuas, Aaron, in domo novarum nuptiarum.
Cum precor tibi hora famis vehementis,
coturnicem gratiae proiice cani spreto.

p. 167. *Salutem renibus tuis, loco cogitationis et sapientiae,
et menti tuae, fronde bonitatis et sanctitatis ornatae.
Locutione verbi tui, Aaron, locutioni Iosue pari,
dum in terram hereditatis, bona valetudo, revertebaris
currum solis in gremio caeli stare fecisti.

Salutem visceribus tuis, quorum sepimentum est ignis amoris
[ardentis,
et supellectili intestinorum tuorum honoratorum, supellectili novi
[tabernaculi,
opifex iustitiae, Aaron, sub iugo crucis Lithostroti!
Non flavit in arvo tuo aestus eius flatu ardenti,
dum in teneritate albus factus est et messis eius venit.

Salutem umbilico tuo, cuius forma est forma labri,
et compactis ossibus — lumbis tuis, cingulo ferreo circumdatis,
Aaron – Petrus! Regni caelorum claves
in dextra tua conservantur, ne occludatur domus eius
hominibus, qui volunt intrare in id.

Salutem tibiis tuis et una genibus tuis, [offerendam.
quae sicut rotae currebant tempore suffimenti ad adorationem
Cum ignis aemulationis tuae, Aaron, comederet Core,
baculus orationis tuae in tabernaculo crucis electo
sine mora floruit et fruges dedit.

Salutem pedi tuo utrique [peragrabant.
et solis pedum tuorum velocibus, quae civitates praedicando
Navi crucis, Aaron, mare ignominiae transgrediens,
cum nudus in area regis temporalis stares,
ad pedes tuos se prostraverunt leones.

Salutem plantis pedum tuorum et digitis tuis probatis
mense exsilii et oppressionis in fornace ardoris flammae,
Aaron – Paulus, sicut dictum verbi disciplinae tuae:
contra te rebellantes decem plagae
non separaverunt te a charitate Christi [1].

*Salutem ungulis tuis, sigillo limitis effigiei, p. 168.
et pulcritudini staturae tuae ornatae, superhumerali gratiae et
Aaron – Iohannes, in finibus agri Iordanis, [venerationis,
laeta annunciatio tua, annunciatio iustitiae, nomen habens regni
[caelorum,
milia servorum e defatigatione et labore requiescere fecit.

Salutem effigiei tuae, horto vigoris mirabilis,
plantae crucis in Dārā, quam marcidam fecit aestus.
Cum Theodoto vincte et cum Māmās capite truncate,
colloca me, hominem perditionis, advenam, sub tutela tua,
tempore adventus mei, Aaron, e terra remota.

Salutem discessui animae tuae, quae elata est
superius ascensione prophetae Eliae, nube sublati.
Imago periti et familiaris non est inventa in loco eius (?).
In area tremoris loquere mecum de salute,
tempore reditus mei, Aaron, post viam longam.

Salutem corpori tuo mortuo, sorte a Moyse diverso,
quod est myrrha et emplastrum omni aegroto.
Divitiae praestantiae tuae, Aaron, plenitudo copiarum gemmae,
quae pluris quam aurum aut argentum probum aestimantur,
sint mihi, homini egeno, fiduciae scrinium.

[1] Cf. *Rom.*, VIII, 35.

Salutem funeri tuo in vestimento sanctorum carbasino,
sicut statutum et lex est funeris patrum iustorum,
uva naturae benedictae mensis primi *tâsrin*
et bacca floris frusti (?) mali punici rubri,
vere, vere, vere, pater, pater noster Aaron!

Salutem sepulcro tuo, scrinio thesauri occulti,
arcae huius Dabra-Farân, collis Golgothae feriae sextae!
E lecto huius cubilis experrectus, Aaron,
noli me extra aream tuam nuptiarum
cum sociis meis, quinque canibus, collocare.

p. 169. *Cum appropinquasset mensis messis corporum eorum fletu
[dignorum (?)
acervus coacervatus est falce mortis repentinae
eorum quos reposuisti, Fārân, sicut thesaurum occultum.
Salutem, salutem magistro tuo, Aaroni,
et salutem quoque illis electis.

Salutem resurrectioni tuae, quae est pes
resurrectionis Christi capitis, sicut verbum Scripturae dicit.
Cum planta pedis amoris tui, Aaron, vellet et gratum haberet
ut sit sibi cursus per moenia cordis mei,
cucullo abbatis Sālusi prorsus *haec* perfodientur [1].

Salutem adscensioni tuae! Regnum caelorum hereditate ac-
cepistis,
quod oculus mortalis non vidit et spiritus eius non percepit,
pater milium, Aaron, cum filio tuo 'Iyāsu,
et cum omnibus qui laborem tuum quaesiverant,
et qui tecum naturam *suam* consecraverant.

Cantus memoriae tuae, pater, cum inspiceret spicilegium,
quod cibum diei in afflictione lassitudinis et sudore laboris lucta-
Aaron, cura adhibita rogat te: [tionis capit.
perfrica [2] os animae meae. Ad pedes tuos dormiens
parietes domus suae bene faciet et muros suos fundabit (?).

[1] Mihi obscurum. — [2] Textus corruptus et plane obscurus est.

Qui non persolvit vespere debitum mercenario ruris et agri,
pudet possessorem arvi divitem.
Dona mihi, Aaron, mercedem benedictionis verbo,
memor, domine, in Deuteronomio dicti:
« Mercenarii mercedem noli retinere per noctem » [1].

Benedictus Deus, quem decet gloria laudis!
Qui mihi tribuit, ut non admittens mendacium in portas oris mei,
de iustitia praestantiae tuae, Aaron, colloquerer.
Asinae quoque olim insipienti
error prophetae cum castigaret loquendi facultatem dedit.

[1] Cfr. *Deuter.*, XXIV, 15.

IV

GADLA FILIPOS

SEU

ACTA SANCTI PHILIPPI

EDIDIT

BORYSSUS TURAIEV.

Philippi, Takla-Hāymānot discipuli et monasterii Dabra-Libānos archimandritae ordine tertii, vitam nunc iterum, textu versioneque emendatis, publici iuris facio, quam ante aliquot annos Petropoli typis tradidi et in linguam moscovitam verti, in opere cui titulus: *Monumenta Aethiopiae hagiologica*.

Haec vita, abbatis Johannis Kamā, ut narratur, iussu, id est saeculi XV dimidio primo, « post operum sancti oblivionem » composita, in uno tantum codice, nempe Or. 728 Musaei Britannici, saeculo XVIII transscripto, exstat. Textus, ff. 150 a-199 scriptus, multis tabulis pictis (ff. 149 *v*, 158 *r-v*, 160 *v*, 161 *r-v*, 166 *v*, 172 *r-v*, 175 *v*, 176 *r-v*, 181 *r-v*, 187 *r*, 190 *v*, 191 *v*, 196 *r*, 197 *r*, 199 *r*) illustratus est, quas in priori editione exprimere curavi.

In vita Philippi plura de persecutionibus, quas a regibus Amda-Ṣyon et Sayfa-Arʿad perpessus est, traduntur; ea vero magnam cum iis quae de Honorio, de Baṣalota-Mikāʾēl, de Aarone narrantur similitudinem habent et quasi ad eorum imitationem conficta esse videntur. Quare non

magni momenti ad historiam Aethiopiae illustrandam ea esse puto.

De Philippo scripsi in libro meo inscripto: Изслѣдованія въ области агіологическихъ источниковъ исторіи Эѳіопіи. Спб. 1902 (*De fontibus historiae Aethiopiae hagiologicis dissertatio*), pp. 119-130.

Petropoli, a. d. XII Cal. Julias, A. D. MDCCCCVII.

B. T.

Caput I.

In nomine Domini Dei, qui et ab initio caret principio
et ad extremum infinitus est,
Triplicis in hypostasi, Unius divinitate,
ut scripta nobis aperuerunt
et fidei administratores explicarunt. [stitutor temporum.
Qui sapientia et consilio suo est creator saeculorum et con-
Qui eduxit ea ex non esse ante tempus et horam,
ante dies et annos.
Quem decet gloria in terra et in caelis,
in mari et profundis
ex ore omnis creaturae
occultae et manifestae, quae supra est et quae infra est.
Huius Dei, coronae martyrum et spei monachorum,
qui non credit in Trinitatem sanctam
anathematizat Ecclesia, una, congregatio apostolica,
in saecula saeculorum.

Incipimus scribere vitam et praestantiam et certamina beati patris nostri Philippi, Dei amantis, coronati gloria et honore a Deo, Patre eius, cum sequeretur opera divina patrum nostrorum honoratorum Apostolorum et luctatorum victorum monachorum, adiuvante nos Spiritu sancto. Auctor munerum amplorum et effector precum et desiderii est hic Spiritus Sanctus, Unus et se dividens in partes multas in actione. Qui aliis dat prophetiam, alios sapientes facit scientia doctrinae, ut Apostolus fatur: « Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed Spiritus ipse docet vos de omnibus »[1]. Qui aliis fuit os et sapientia, luctatoribus martyribus, *ut infideles revelatione p. 174.
fidei christianae confutarent, quae montes movet et ficus exstirpat, ut ratum sit verbum dictum a Domino nostro: « Cum autem inducent vos ad reges et magistratus, nolite solliciti esse qualiter, quomodo aut quid respondeatis aut quid dicatis[2]: ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt re-

[1] I Cf. Iohan., II, 27. — [2] Cf. Luc., XII, 11.

sistere et contradicere »[1]. Aliis monachis luctatoribus dedit patientiam, ut certamina sua certarent capto consilio accipiendi coronas gloriae iis comparatas. Aliis ornatam castitatem, virginibus, ut cupiditatis aestum in carne sua temperarent. Sine eo nihil est istorum actorum, de quibus iam diximus. Itaque accipiamus auxilium eius, ut iter verbi nobis complanet, quo ituri sumus, dum ad narrationem conficiendam de patre nostro Philippo perveniamus, a nativitate eius usque ad certam mortis eius diem, laudatione parva praemissa ex multis et egregiis rebus in honorem Dabra-Libanos, similis caeli, ex quo effulsit sol veritatis Philippus inter sidera, liberos eius.

Quomodo laudemus te lingua infirmi, o urbs magna, Dabra-Libanos, laudata ore angelorum vigilantium et ore hominum sanctorum, qui Spiritu divino maiestatem tuam viderunt et dixerunt: « Vidimus eam opacari Spiritu sancto in horas, die et nocte, maxime autem tempore Eucharistiae? » At quidam dixit: « Adumbravit eam Spiritus sanctus, velut nubes, neque unquam ab ea discessit ». Quod Deus dedit propter sanguinem effusum huius honorati patris nostri Philippi et omnium certatorum causa, virorum et mulierum, sepultorum in ea, neque recedet ab ea hic Spiritus sanctus usque ad consummationem saeculi.

Audite prudenter et auscultate cum timore, dilecti nostri, in hoc monasterium sanctum congressi, sacerdotes et diaconi, senes et parvuli, ut memoriam huius sancti abbatis et honorati ascetae Mar Philippi faciatis, qui primus martyr erat, cum esset
p. 175. in regione Sēwā, diebus regni Amda-*Ṣyon, Aethiopiae regis. Audite, fratres nostri! Urbs natalis huius sancti fuit in agro Zemā, nomine Lat. Illis diebus oppidi huius incolae lapides et arbores et mare colebant, neque Deum noverant, nisi pauci homines. Vivebant autem omnes absumentes tempus edendo et bibendo et adulterando omnes per dies vitae suae.

Pater autem huius sancti Philippi et mater christiani erant Christumque colebant. Hunc sanctum pater misit ad praeceptorem (mamher), ut scripta prophetarum et Apostolorum et psalmos Davidis disceret, observans verba eius et omnis generis sapientia se instituens et erudiens doctrina et intelligentia. Is distinxit

[1] Luc, XXI, 15

mortem et vitam. Et dixit hic sanctus praeceptori suo: « Pater, quis concreavit haec omnia quae video, et solem et lunam et stellas caelestes, et terram et montes et colles et mare et flumina et homines et animalia? » Praeceptor ei respondit et dixit: « Bene dixisti, mi fili. Haec enim omnia, quae dixisti, Deus ex nihilo concreavit, unus Deus et unus Filius eius et unus Spiritus sanctus Paracletus ». « Tresne concreaverunt annon? » Et dixit praeceptor: « Ita est, tres creaverunt. Scito et ausculta, mi fili, et audi quae tibi dicturus sim. Tres enim illi concreaverunt: Pater creat, Filius facit, Spiritus sanctus perficit. Pater benedicit, Filius benedicit, Spiritus sanctus benedicit. Pater iubet, Filius iubet, Spiritus sanctus iubet. Pater condonat, Filius parcit, Spiritus sanctus remittit. Pater fatur, Filius fatur, Spiritus sanctus fatur ». Et denuo eum interrogavit puer: « Tres illi unusne sunt an inter se diversi? » « Tres », inquit, « sunt personae eorum et una potestas eorum et una essentia eorum. Deitate coniuncti sunt in hypostasi triplices, immortales, indelebiles; carent et initio et fine; innumerabiles sunt anni eorum; non *fuit tempus quo non erant aut non exsistabant ». Et p. 176.
dixit puer: « Si dixisti Trinum esse immutabilem et indivisibilem, quomodo Pater Filio est pater, et filius Patri Filius et Spiritus sanctus utrique eorum? » Audi, inquit, mi fili: « Pater, ut imago; Filius, ut verbum; Spiritus sanctus, ut halitus. Ut imago nequit separari a verbo nec halitus verbumque ab imagine, ita Patri, Filio, Spiritui sancto non licet seiungi inter se, ut sint divisi, ut hypostases et personae. Cohaerent enim inter se in coniunctione ». Et denuo puer interrogavit: « Creatorne est Deus an creatus est? ubinam est et unde venit? » Et respondit ei praeceptor: « Noli explorare hanc profunditatem. Non Ipse procreatus aut generatus est, sed ipse omnia in caelo et in terra concreavit, visibilia et invisibilia, ut tibi supra dixi. Neque est alius Deus, nisi hic. Ubi versetur et unde veniat, ipsum Numen eius cognitum habet. Et posuit tenebras latibulum suum [1]. Et tenebrae in eo non sunt ullae [2], ut dixit Apostolus Ioannes: ' Et tenebrae eum non comprehenderunt. [3] , Omnis enim est lumen Numinis; ut igni desunt dextra et sinistra, desunt postica et antica, omnis enim est lumen: ita Deus lumen numinis, nam

[1] *Ps.* XVII (XVIII), 11. — [2] IOHAN., I, 5. — [3] IOHAN., I, 5.

omnia lumina sunt arma eius; et ipse ea procreavit in gloriam suam. ' Et posuit tenebras latibulum suum ', quod tibi dixi, occultam esse essentiam Creatoris prae creatura significat ». Ita praeceptor eius locutus est.

Caput II.

Et deinde puer iterum interrogavit praeceptorem suum: « Utrum in caelo tantum Deus versatur an ubique? » « Non
p. 177. est », inquit, « mi fili, ubi Deus non versetur *aut non sit, in caelo in excelsis, et in terra infra. Neque est occulti quidquam, quod non oculis eius appareat sive in mari, sive in abyssis. Illi nihil est absconditi, ille autem est occultus et absconditus omnibus: neque est illi rerum *omnium* res quaequam impossibilis. Priusquam omnia fierent, omnia noverat et ante creationem perfecit. Qua de causa propheta: ' Et replebitur maiestate eius omnis terra ' [1]. Ei sit gloria! Amen ». Et puer hic denuo interrogavit: « Si ita res se habet, cur huius oppidi homines colunt et adorant lapides, lignum, mare, magos, hariolos et pro Deo habent, ut ea adorent et colant neglecto Deo, qui omnia concreavit? » Aspicite, fratres, sapientiam et rationem et scientiam hanc, quae in puero hoc fuerunt, ut exquireret omnem hanc verbi profunditatem, quae mentem et orationem fugebat. Et dixit ei praeceptor: « Audi, mi fili! venerantur magos, quod iis imagines vanas efficiunt et ostendunt, ut eos decipiant. Inest enim iis spiritus Satanae. Cum videant eum in igne sedentem, qui eum non comburit, et manu sua forcipem ferreum igne fervefactum tenentem, saliunt et circumaguntur, velut a daemonibus correpti. Quod vanum miraculum videntes, se prosternunt interrogantes: « Vivemusne multos annos an moriemur? divitesne erimus an pauperes? » Et respondet ille hariolus — mendax enim est — iis qui morientur, eos victuros esse, et iis qui vivent, eos morituros esse: iis, qui locupletabuntur, eos pauperes fore: iis qui ad inopiam redigentur, eos fore divites. Sic eos illicientes loquuntur ». Et denuo dixit hic sacerdos: « Fides mea, sicut tu ipse dixisti, haec est: dubium non esse, quin diabolus huius magi ore loquatur. Si autem homo audebit et si-

[1] *Ps.* LXXI (LXXII), 18.

gnabit eum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Satanae spiritus, qui eos illiciebat hunc magum ingressus, ab illo aufuget, super igne se continens. Cum autem fugerit, magus hic flamma comburetur, donec cinis fiat ». Et dixit sanctus *Phi- p. 178.
lippus magistro suo: « Satanas, quem dicis, qui est et cui similis? » Et ille dixit: « Num Satanas est notus? » Et dixit sanctus: « Verbis audivi; id unum dic mihi: unde venit? » Et dixit hic beato: « Tu quidem nimirum nondum scis Satanae opera, qui homines pellicit. Et nunc Deus te servet ab eo per omnes dies tuos ».

Loquitur scrutator huius narrationis. Cum nemo mihi esset, qui mihi de certaminibus et annis eius narraret, neque parvus neque unus qui viveret, cum de civitate in civitatem hic beatus pater noster Philippus persecutus fuerit [1]; redii in cellam meam maestus et tristis, cum nullam de eo memoriam acceptam haberem. Eum lacrimans precatus sum et oravi, cum dicerem: « Pater, scis me improbum atque impium esse; praebe in me gratiam tuam. Non iustitiae meae causa te oro, ut res arcanas occultasque, certamina tua et passiones tuas, quae pro Christo perpessus es, mihi aperias, sed opto pronunciare ore meo impuro et scribere digitis meis indignis. Audiant monachi sancti et sacerdotes benedicti et homines fideles, qui te fide invocant ». Quibus dictis, obdormivi maestus.

Caput III.

Et tum hac nocte per visionem hic abbas beatus se mihi obtulit, cum vestimenta eius splenderent et corona esset in capite eius, et ipse erat clarior sole, et multi, qui eum a dextra sinistraque sequebantur, splendebant sole clarius, et coronae, quae in capitibus eorum erant, stellis caelestibus similes erant. Quibus adspectis trepidavi. Et convertit se ad me hic abbas, qui sedebat in solio magno et excelso luce repleto, et me interrogavit: « Agnoscisne me? » Et dixi ei trepidans: « Quis es, domine? » Et respondit mihi: « Philippus sum ». Et dixi ei: « Qui sunt ii qui tecum sunt? » Et subrisit sanctus et dixit mihi: « Nonne dixisti sidera urbis sanctae? » Et denuo mihi dixit:

[1] Matth., xxiii, 34.

p. 179. « Potesne perficere scripturam librorum *et miraculorum Dei in sanctis eius? » Et dixi ei: « Quomodo, domine? » Eo haec loquente, vidi flumen album velut lac sub solio sancti, et hic mihi dixit: « Ingredere in aquam! » Expavi, et me haustum iri putavi. Et denuo dixit mihi: « Ingredere in aquam ». Et perterritus non parui. Tum mihi, crucis signo, e longinquo benedixit, et pavor statim a me discessit, et cum tertio mihi diceret: « Ingredere et noli timere », consilui et in flumen me deieci, et immersi me, et diu mansi, et fui extra me, et steti in media aqua. Et accessit ad me unus e sanctis qui extra stabat, et dixit mihi: « Lava te », et totum me lavi, et laetatus est animus meus, et visus sum mihi oleo sancto unctus esse. Et tum duxit me et misit me ad sanctum. Et stabam ante eum, et dixit mihi pater noster Philippus: « Cum patris domi essem quindecim annos natus, expuli multos daemones et sanavi multos aegrotos virtute Domini mei Iesu Christi, qui me Spiritus sancti dono donaverat. Cum tibi ordine narrare coepero, quae manu mea Deus confecerit, ferre non poteris. Quae antea scripsisti, ea vera sunt, et nunc scribe, quae in ore tuo dixi ». Tum benedixit mihi sanctus crucis signo; ego autem osculatus sum pedes eius, et deinde e conspectu meo elapsus est, et expergefactus sum e somno et laudavi Deum, miracula edentem in sanctis suis. Cui sit gloria in saecula saeculorum. Amen.

Caput IV.

Nam hic sanctus cum patris domi et parvus esset, in fide christiana firmus pater eius erat. At homines oppidi idolis serviebant. Et dixit sanctus patri et matri: « Ne oppidani vos ad idololatriam illiciant dicentes: ' Gloriam et divitias nobis dant et hostes nostros ulciscuntur '. Non solum non possunt ulcisci, p. 180. *sed ne se quidem servare possunt, et peribunt sicut cera ignis facie, cum eos vir fide christiana signaverit ». Ita, patres et fratres, hic sanctus coepit esse martyr, cum patris domi esset. Et fuit quidam vir, qui prope domum eorum habitabat. In eo fuit spiritus Satanae, et adorabant eum homines e longinquo venientes et e vicinis locis et salutabant eum; decipiebat autem omnes homines. Et venit quondam ad eum clam hic sanctus vespertino *tempore* a patre se occultans, cum vidit homines euntes ad

hunc magum *vespertini crepusculi tempore* ne fideles cognoscerent, quid noctu agerent. Et dixit beatus abbas Philippus; « o ater, cuius opera sunt atra et cuius domicilium est gehenna ignea, extremae tenebrae, et cuius sectatores in tenebris ibunt. Deus autem noster est purus et lumen est tota eius natura, et eum sequuntur lumine eius splendebunt ». Quibus dictis, pater noster conticuit. Et abiit magus invisibilis et exsiluit super ignem, qui excitabatur multis lignis, ut homines effusa flamma eius ureret. Sanctus autem vidit et miratus est ea, quae fiebant. Iste infidelis in solio magno intra hunc ignem sedebat; et salire coepit, sicut a daemone correptus. Et coeperunt eum venerari dicentes: « gād, gād »; vox gād significat: « in te credimus ». Et omnes huic filio perniciei hostias festinando proferebant veritatis inimico, Satanae foetui. Et tum Spiritus sanctus implevit patrem nostrum Philippum apostolum, qui corpore quidem parvus fuit, tamen, ut Elias, aemulator legis divinae. Et commovit eum gratia divina et exarsit cor eius amore fidei et magna voce exclamavit: « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, unius Dei. Exsurgat Deus et dissipentur inimici eius, et fugiant qui oderunt eum a facie eius; et sicut fluit cera a facie ignis [1], sic pereas tu, Satana abominatus, et discede ab hoc homine, qui in igne sedet ». Et tum fugit Satana et evanuit, sicut fumus. Et homines omnes hoc *videntes trepidabant et fuerunt sicut cadavera. Et laetatus est pater noster Philippus propterea, quod Deus ei hoc signum dedit, et dixit iis: « cur hunc mutum adoratis qui se ipsum servare non potuit? Num alium servare poterit? » Tum pars eorum dimidia exiit perterrita metu, dimidia autem dixit: « Noli, fili noster, ita te gerere nec hominibus aut patri tuo aut praefecto (makuanen) dicere; qui, re audita, nos perdet ». Et dixit iis pater noster Philippus: « Creditisne in nomen Dei mei et ibitisne mecum in ecclesiam, ut paenitentia acta baptizati gratiam accipiatis? » Qui dixerunt: « Hoc fide tua, domine, faciemus ». Et voverunt hoc viginti quatuor homines.

p. 181.

Et mane venerunt ad sancti patrem uxor et liberi illius magi, et lamentantes narraverunt omnia, quae fecerat filius eius. Quibus auditis, pater eius flevit et dixit: « Quae si ita

[1] *Ps.* LXVII (LXVIII), 1, 2.

sunt, filius meus interficietur; nam incolae huius urbis sunt idololatrae maligni neque Deum metuunt ». Et mater eius flebat dicens: « Cum eos prohibeat idola venerari, interficient eum, in itinere ei insidiantes. Quid agam? Sed fiat voluntas Dei! » Et dixit marito suo: « Puniamus eum, ne iterum ita agat! » At sanctus mane in ecclesiam profectus est cum illis hominibus et duxit eos ad sacerdotem, ut paenitentiam *eorum* acciperet. Qui peccata sua confessi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizati sunt. Et laetati sunt omnes baptismo Christi percepto. Et dixit ille sacerdoti: « Scisne Dominum nostrum dixisse: Nolite imponere onus grave gentibus, qui ad vos convertuntur, ne corrumpantur neve fidem deserant, sed breviter adhortamini, ut abstineant se ab immolatis simulacrorum et cadaveribus et sanguine et dilaniato, neve faciant aliis ea, quae sua causa oderunt [1] ». Et dixit sacerdos: « Tu quidem maior et clarior es me propter gratiam a Deo tibi datam et do-
p. 182. num Spiritus Sancti et similis *es Christo, qui Adam et liberos eius Deo Patri suo conciliavit; et ratum est in te verbum Evangelii: ' Beati sunt pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur [2] '. Et tum presbyter iis imposuit unius hebdomadis paenitentiam, et domum redierunt laeti; servaverat enim eos Deus ab idololatria manu servi sui Philippi. Eorum suis quisque narravit, quomodo baptizati erant, et quomodo beatus Philippus magum interfecerat verbo divino, quod gladio acutius est. Et dixerunt ei: « Inde ab hoc tempore credimus non esse deum, nisi Deum Philippi, Abrahae filii, qui nos a Satanae manu servavit ».

Et intravit sanctus ad patrem suum. Qui dixit ei: « Ubi heri mansisti et ubi tempus degisti, cum te tamdiu quaererem? » Cum hic ne unum quidem verbum responderet, iratus est pater eius et dixit ei: « Putasne me ignorare, quid feceris? Cur animam perdidisti? » Neque respondit sanctus quidquam. Et cum ille interrogare pergeret, aegre respondit, dicens: « Num ego animam perdidi? Deus serpentem interfecit manu servi sui peccatoris. Ego autem optarem ut daret mihi Deus vim et potentiam ad Satanam et omnes copias eius perdendas, ut mundus a seductionibus eius requiesceret ». Et dixit sancto pater eius:

[1] *Act.* XV, 19, 21, 25, 29. — [2] MATTH., V, 9.

« Quid ad te? Cura potius de te, parvulus enim es. Quis te huic oppido praefecit? Cuique enim secundum opera eius retribuetur. Num presbyter es, aut praeceptor (mamher), aut iudex (makŭănen)? Neque enim potestatem huius rei faciendae habes, ut magum interficias. Opperire, donec praeceptor fias, neque sis *huius* muneris cupidus per voluntatem tuam: fecisti enim, ut propter te oppidum in captivitatem abduceretur et a makŭănen perderetur. Non enim dicent de te delatores: ' Hic Satanam et hariolum interfecit, ' sed dicent: ' Hic hominem interfecit ' ut occideris, propterea quod eorum magum interfeceris, qui omnia quae volebant, iis dicebat ». *His dictis, eum p. 183. verberari et flagellari iussit, ne iterum id faceret. Et verberatus est donec sanguis eius humi proflueret. Et laetatus est sanctus, nam contigit ei, ut manu patris sui martyr fieret. Et denuo dixit ei pater eius: « Noli dolere, mi fili; verberavi enim te, incolas huius oppidi metuens, ne te necarent neve nostram rem familiarem diriperent ». Respondit sanctus et dixit ei: « Neque metuo, neque doleo propter haec pauca verbera tua, sed laetatus essem, si me occidisses, ut Christi martyr essem; zelor enim Deum, sicut Elias, qui CD viros, falsos prophetas, interfecit, qui populum Israel seduxerant. Et tu dicis: ' Magum interfecisti ' divitias pluris habes quam zelum erga Deum et similis es illius divitis, qui Dominum nostrum sequi noluit, pecuniae cupiditate commotus. Qua de causa dixit Dominus noster: ' Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum [1] '. Mihi quaestus est, si verberor aut interficiar, et Dominus est adiutor meus et servator ab omnibus operibus iniquitatis ». Et vidit pater eius eum ad mortem esse paratum, et lacrimavit dicens: « Nunc cognovi filium meum interfectum iri et de cupiditatibus *huius* mundi cogitationem non habere ». Deinde castigationem eius cessare fecit. Tum spiritus Satanae intravit in filium magi, qui dies et noctes eiulare et dentibus stridere coepit. Qua re audita, flevit mater eius et dixit patri huius beati Philippi: « Domine, demens est filius meus, quid agam? Tu vero roga filium tuum, ut sanet eum: Deus enim eius magnus est Deus ». Et dixit ei Abraham, pater sancti: « Dic mihi, quomodo maritum

[1] Luc., xviii, 25.

tuum, fustene, an lapide necaverit? » Quae dixit: « Testis meus est Deus huius parvuli: neque baculo neque hasta; sed narrabo tibi, domine. Fecimus enim ignem multum, ut nobis mos est, ille autem insiluit in hunc ignem. Et venerunt adorantes eum omnes idololatrae, et dum eum adorabant, exclamavit filius
p. 184. tuus: *' In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti '. Et tum contremuimus et cecidimus: tonitrus et fulmen nobis videbantur nos tremefecisse. Et cum ex ore eius illa exierunt, neque ego sciebam, neque ii qui mecum erant, quid marito meo accidisset, nam labia eius compressa sunt, neque vox eius in media flamma audita est. Cum autem flamma exstincta esset, inspeximus, nihil tamen invenimus, nisi ossa nonnulla, in cinerem conversa, et illi pro operibus suis retributum est. Tu autem roga filium tuum, ne preces servae tuae repudiet ». Tum pater vocavit sanctum et dixit ei: « Mi fili, ignoscas mihi, quod te verberavi, ignorans Deum tibi potestatem in spiritus impuros dedisse. Et nunc haec mulier te orat, ut eius filium sanes et dicit: ' a diabolo correptus, dies et noctes eiulat '. I et exorciza eum illius causa, neque preces illius repudies propter Deum ». Respondit pater noster Philippus patri suo: « Tu animo superbus es, neque in Deum credis, sed bonis fragilibus et caducis confidis ». Huic autem mulieri dixit: « Credisne Filium Dei filium tuum sanaturum esse, quemadmodum maritum tuum propter pravitatem eius interfecit? ». Ea dixit in toto corde suo: « Credo, mi domine ». Et fidem mulieris videns cum ea abiit, et invenit filium eius clamantem et dentibus frendentem et capillos capitis sui vellentem. Eum cruce signavit et pronuntiavit librum precationis dominae nostrae Mariae, et, finita lectione, precatus: « Domina, exaudi orationem meam [1], et non confundas me ab exspectatione mea [2] hac hora servum tuum, non mea, sed pollicitationis tuae causa, quam dixit liber hic loquens: Ad legentem hunc librum spiritus impurus accedere non poterit. Cuius rei causa hunc puerum precatione, tua a daemonibus sana ». His dictis exorcismum pronuntiavit: « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti exi, spiritus impure, ex hoc homine ». Tum ille latravit sicut canis, et exiit ex eo spiritus impurus et

[1] *Ps.* LXIII (LXIV), 1. — [2] *Ps.* CXVIII (CXIX), 116.

sanatus est ille hora ea. Et dissipatus est *rumor inter omnes p. 185.
vicinos et affines, quomodo filius Abrahae magum interfecisset et quomodo filium magi a daemone sanavisset. Postridie mane misit hanc mulierem cum filio ad ecclesiam, et baptizavit eam cum filio sacerdos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; sanavit morbos eorum, expulit daemones virtute Spiritus sancti, quae ei inerat, cum super eos precationem dominae nostrae Mariae Deiparae legeret, et sanabantur omnes Dei voluntate. Et metu affecti sunt omnes magi et ii, qui in delubris artes magicas colebant, et conversi sunt ad Dei cognitionem fidemque veram. Et ire solebat in ecclesiam vespere et mane, diu noctuque, et fuit ecclesiae instar oculi aurisque, gratus Deo hominibusque. Et sollicitudine affectus erat propter omnes creaturas, homines et animalia. Et abstulit miserias viduarum et orborum et beneficiis eos afficiebat pro facultate sua, magnos et parvos, *opes* a patre petens: neque enim quidquam eo tempore comparare sibi solebat. Et eos aegrotos, qui eum adibant, sanabat et consolabatur in maerore iacentes, loquens submisse et admonens animo clementi et cum amore.

Caput V.

Post haec pater beati Philippi de connubio loqui coepit et dixit ei: « Mi fili, Deus mihi filios filiasque dedit. Neque tamen iis laetor. Tu autem me consolaris operibus tuis et maxime propterea, quod mihi es dux regni divini. Tu, mi fili, mihi es pater, sicut Cyricus, Iulitae filius, ducis enim me in vitam quae sempiterno manet. Nunc autem annue mihi de connubio, ut domus patris tui heres sis; tibi enim Deus dedit gratiam et donum Spiritus sancti ». Quibus verbis auditis sanctus dolorem concepit et *flevit et diu tacuit et tandem patri suo respondit: p. 186.
« Cur mihi haec dixisti, quae oculos obscurant, animum dolore afficiunt, cor contristant, mentem submergunt, corpus vulnerant? Omnia enim praetereunt, ut dixit Apostolus: mundus praeterit et voluptas eius praeterit, qui autem Dei voluntatem facit, sempiterno manet. Et Paulus dixit: « Qui habent uxores, tamquam non habentes sint: praeterit enim delectatio huius mundi » [1].

[1] I *Corinth.*, VII, 29, 31.

Pater, ad servitutem et iugum serviendi peccato me vis reducere. Scito, mi pater, omnia carnalia morte teneri atque inferno urgeri. Ubi sunt reges et iudices, divites et potentes, servi et liberi, viri venustatis, ora loquacia et lingua loquens? Pulchritudo adolescentium et virginum morte obtorpuit, in arca periit, facta est pabulum vermibus. Omnia enim sicut vestis, veterascent et extemplo mutabuntur, ut ait David rex [1]. At ego de hoc mundo non cogito, qui evanescit ut umbra. Et, ut sitiens per somnium aqua potata, expergefactus invenit os suum esse siccum et linguam et torrefactas esse fauces, talis est etiam sapor huius mundi caduci. Percipe animo, mi pater: odit cum amatur; recedit cum ad eum appropinquantur, vitiat cum laudatur ». Haec et similia sanctus patri dixit, sed pater ad connubium eum per noctes et dies illicere non desiit.

Quae cum ita essent, beatus Philippus in animo consideravit et dixit: « Si dilexisti me, Domine, notam fac mihi viam, ad quem locum ambulem [2]: scis enim in hac regione nullum esse monasterium monachorum, ut eorum sub umbra eam et vivam. Domine, si una cum patre et matre ero, pellicient me in suas partes et rediguent me in servitutem et famulatum peccatorum; si autem solus ibo, nescio quo me vertam: ipse scis enim parvitatem corporis mei. Neque notus est mihi locus, ubi monachi, servi tui, habitant. Mitte mihi, Do-
p. 187. mine, angelum tuum bonum, qui mihi *iter tuum monstret, sicut tu duxisti Moysen manu Michael, angeli tui, in nube die et tota nocte in illuminatione ignis, [3] et servasti populum tuum Israel a servitute Pharaonis et a copiis eius. Ita me quoque serva, Domine, servum tuum impium et egenum. In utraque enim re periculum subeo: si ibo, iter mihi ignotus est, sin aliter, notum tibi est cor meum, animam meam nolle hic cum patre et matre permanere, ut ratum sit verbum tuum; dixisti enim: ' Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus [4], neque potest meus esse discipulus ' [5]. Domine, adiutor periculis circumventorum, levator oneratorum, spes desperantium, consolator maestorum! Fiat misericordia tua, Domine, super me, quemadmodum speravi in te [6]. Adhaesi testimoniis tuis, Domine,

[1] *Ps.* CI (CII), 26. — [2] *Ps.* CXLII (CXLIII), 8. — [3] *Ps.* LXXVII (LXXVIII), 14. — [4] MATTH., X, 37. — [5] LUC., XIV, 26. — [6] *Ps.* XXXII (XXXIII), 22.

noli me confundere; [1] tuam quaesivi faciem, Domine, appare mihi; in te speravi, adiuva me; statue super petram pedes meos et dirige gressus meos » [2].

His dictis sanctus lacrimans obdormivit. Et hac nocte apparuit ei per somnium angelus Dei, et ter vocavit eum, dicens: « Philippe! Philippe! Philippe! » Et respondit: « Adsum, Domine! » Neque vidit tunc angelum, sed audivit vocem eius. Et dixit is angelus: « Mane surgens, i ad orientem, unius diei iter, et quaere in terra Gerāryā locum Asbo nominatum. Quo cum veneris, ascende in rupem magnam, et ibi invenies virum Dei, Takla Hāymānot nomine, quia cum ' Takla Hāymānot ' dicis, ' hortus Patris et Filii et Spiritus sancti ' dicis. Ibi habitant monachi sedentes et laborantes sub iugo legum huius abbatis. Beati sunt qui audiunt verbum eius et vadunt in itinere eius; qui enim dicta huius viri sancti non audit, Dei vocem non audivit. Ad eum ito et fac sicut tibi dixerit, et sequere gressus eius ».

His auditis, pater noster Philippus credidit verbo Dei, et mane expergefactus, subito abiit, nihil secum *bonorum mundi p. 188. huius portans, nisi vestimenta sua. Cum, itinere unius diei peracto, ad terram Asbo prope accessisset, occurrit multis pastoribus, qui greges suos in planitie pascebant. Eos interrogavit, num scirent locum, ubi monachi habitent. Pastores responderunt: « Audivimus patres nostros dicentes hos monachos carne humana vesci. Cur ad eos tendis? Visne, ut te comedant? » Eis sanctus dixit: « Utrum carne humana vescantur necne, non vestrum est. Monstrate mihi ad eos viam ». Qui dixerunt: « Scito et considera: pubes enim et robustus fugit eos, at tu puer ad eos tendis. Proficiscere ad eos, et vespere te cibum suum vespertinum facient ». Audiens sanctus risit verba amentiae eorum et dixit iis: « Nolite lugere me, sed viam monstrate mihi ». « Nisi nos audire vis, eas via recta, et ad eos adducet te ». Eo itinere sanctus ivit, et Dei voluntate venit et repperit monachos extra introitum sedentes, et osculatus est eos osculo spiritali, et dixit eis: « Ducite me ad abbatem monasterii ». Dixerunt ei: « Quid vis? » Respondit: « Habitare sub umbra eius opto ». Dixerunt: « Potesne cum monachis vivere, neque

[1] *Ps.* CXVIII (CXIX), 31. — [2] *Ps.* XXXIX (XL), 2.

cibum bonum edens, neque potum dulce bibens? » Tunc autem collegebant fabas in horto, et dixerunt ei: « Aspice: hic est cibus noster, potum nostrum est aqua simplex ». « Deo adiuvante », inquit, « propter preces vestras, potero ». Illi dixerunt: « Cras te ad abbatem monasterii deducemus: nunc iam vesperascit ». Obtemperavit *iis*. At monachi domum abierunt, et sanctum deseruerunt, neque quisquam eorum meminerat eius. Adversarius enim fecit ut eius obliviscerentur. Et cum nox accidisset, coepit meditari et dixit: « De me pueri vaticinati sunt: te monachi comedent. Non monachi me comedant, sed bestiae. Quid tamen mea refert, si me bestiae comedant, dum preces monachorum et preces sancti patris nostri Takla-Hāymānot
p. 189. mecum maneant? Neque *domicilia, ubi habitent, neque locum umbrosum, quo versentur habent. Eis si domicilia fuissent, me introduxissent ». Ignorabat enim illos eius esse oblitos. Et dixit sanctus: « Mirabilia sunt opera tua [1], Domine! » Et in meditatione pernoctavit ibi, ubi ab illis relictus erat. Et cognovit sanctus pater noster Takla Hāymānot per Spiritum sanctum et dixit discipulis suis: « Nonne adest is, quem in deserto reliquistis? » Qui dixerunt: « Non adest pater ». « Quaerite, inquit, nonne adsit is, qui ad vos venit hora secunda, dum fabas in horto colligebatis ». Illi responderunt: « Non adest ». Tum manibus complosis, dolore affectus, dum diu tacuisset: « O inimice bonorum, inquit, non habes potestatem illiciendi Dei servos et vincendi eos ». Tum pater noster liberis suis dixit: « Venit ad vos puer parvus, nomine Philippus, et vobis dixit: ' Deducite me ad abbatem monasterii '. Cui dixistis: ' Cras te deducemus ', et ibi deseruistis eum. Video enim eum ab angelis servari ». Et contremuerunt sancti monachi et ei dixerunt: « Ita est, pater. Ille enim ad nos venerat, sed eius obliti sumus. Abibimus et statim eum adducemus ». « Non vestra, inquit, sponte obliti estis, sed ut a Satana tentaretur. Quid ignis auro facit, nisi purgaret? Idem est sollicitatio et tentatio ei, cui inest patientia. Nunc eum relinquite, sed cras mane ad me deducite ». Sanctus autem totam per noctem non dormivit, sed stans precatus est, et, cum illi venissent, reperierunt eum stantem eodem loco, ubi pridie reliquerant. Neque enim deflexerat dextrorsum aut

[1] *Ps.* CXXXVIII (CXXXIX), 14.

sinistrorsum ab eo loco, ubi steterat, neque usque ad lucem considerat.

Et sancti cum venissent, eum secum ad abbatem monasterii, patrem nostrum Takla-Hāymānot, deduxerunt. Quem cum pater noster vidisset: « Propius, inquit, accede, mi fili! » Manus suas porrexit et benedixit ei et osculatus est caput eius, quasi antea novisset eum. Nam agnovit eum animo prius quam ad eum venisset et vidit in eo Dei gratiam. Et dixit ei: « Potesne cum monachis vivere sine cibo et potu, in frigore et nuditate? » Et respondit ille: « Ita est. Possum, pater, Deo adiuvante propter preces tuas ». Dixit *pater noster: « Adiuvet te Deus, ut eius p. 190. voluntatem per dies omnes vitae tuae facias, mi fili, et tribuat tibi gratiam suam: vocatus enim es et venisti, ut consors sis et coheres sanctorum eius ».

Caput VI.

Tum pater noster Takla Hāymānot discipulis suis dixit: « Abducite hunc puerum, sit vobiscum ». Qui ei obtemperaverunt. Ille autem ex spelunca sua per dies et noctes non prodibat, neque edere quidquam solebat frugum, nisi folia, per omnes dies vitae suae. Et fuit tum pater noster Philippus purus in omnibus operibus suis et abstinens in omnibus moribus suis et submissus verbis, et vivebat serviens sanctis cum modestia et verecundia, magnis et parvis. Quicumque viderat eum, amabat eum. Et cibus eius erant fabae, neque bibebat aquae tantum, quantum inveniebat, immodice; et ita vixit tres annos. Tum convenerunt monachi, eligerunt eum et una voce dixerunt: « Re vera Philippus dignus est qui vestimento monachatus induatur ». Deinde eum induerunt et tum dixerunt patri nostro Takla-Hāymānot: « Re vera Philippus beatus dignus est, qui schema sanctitatis accipiat ». Tum eum abduxit et induit vestimento monachatus et benedixit ei Deus ore patris nostri Takla-Hāymānot, et fuit hic beatus Philippus consectator vestigiorum patris sui in amore, in humilitate et modestia. Et ita vixit multos per annos, neque quemquam contristans aut offendens, neque abominans, aut oculos suos tollens cum ira et superbia; et oculo mentis sui contemplabatur regnum Divinum

et videbat in speculo Spiritus sancti gloriae regem, et semper salutabat Hierosolyma caelestia.

Et postea pater noster Takla-Hāymānot beatum Philippum ad metropolitam misit, ut ordinationem acciperet, cum ille id nollet, non neglegens ordinationem sacerdotalem, sed animo submisso diceret: « Pater, nondum hunc gradum confeci, neque
p. 191. adii ad ordinationem diaconatus ». *Et dixit ei pater noster Takla-Hāymānot: « Tu quidem non minor es iis in regno caelorum qui diaconi creati sunt. Abi, et sit Deus tecum! » Tunc exiit et profectus est, et benedixit ei Spiritus sanctus manu patris nostri Takla-Haymānot, et iter in pace confecit. Deinde brevi rediit voluntate Dei, ordinatione sacerdotali accepta, et mansit in amore, et bene fungi est solitus munere suo, quod est sacerdotium. Cum sacra faceret, angeli ei aderant, et ipse stabat in curru ante tābot et manibus suis mactabat Agnum purum, qui tollit peccatum mundi [1]. Deinde accepit melote, perfectionem monachatus ex manu patris nostri. Cui omnibus in rebus gratus fuit et obediens, et ille benedicebat ei semper.

Cum instaret obitus patris nostri Takla-Hāymānot, congressi sunt ad eum omnes monachi et monachae, magni et parvi in spelunca eius, et flebant, et dixerunt ei: « Pater, quis post te in sede tua erit? » Respondit iis: « Sit Eliseus ». Neque eos de Philippo commonefecit, cum sciret Deum memoriam eius post Eliseum in generationes generationum esse firmaturum. Deinde requievit pater noster honoratus Takla-Hāymānot in senecta uberi. Benedictio precum eius sit cum dilecto eius Aḍqa-Rufā'ēl in saecula saeculorum.

Caput VII.

Et hic Eliseus gratus fuit Deo in omni certamine spiritali. Neque recubuit per omnes dies suos, et cum dormiturus esset, in scamno considebat et paulisper conquiescebat propter carnis lassitudinem. Et ipse dicebat: « Dedecet monachum somnum augendo somnia gignere ». Et seipsum castigabat, et artus defatigabat, neque ventrem cibo per omnes vitae suae dies implevit. Qui cum ita tempus degerent, mortem patris

[1] Iohann., I, 29.

nostri deflentes, diaconus quidam obiit. Lavaverunt corpus eius, quod cum sepeliendum portaretur, in lecto suo motum est. Quod videntes contremuerunt *omnes et cum lecto illud posuerunt, et p. 192. festinantes a linteis solverunt. *Mortuus* ter respiravit. Dixerunt ei fratres: « Quid dicis et ubi habitas? ». At hic iis: « Pater noster, inquit, Takla-Hāymānot me misit, dicens: ' Abeat Eliseus ad me, Philippus autem sit pro me in sede mea: erit enim pater multarum gentium et gregem Christi in iure et veritate pascet ' ». His dictis obdormivit et a fratribus cum honore sepultus est. Eliseus autem requievit die tertio, neque noverant fratres eum esse mortuum, et viderunt eum sedentem ad fenestram more suo, et dixerunt: « Nunc confectus est multo ieiunio, discedite ab eo, requiescat paulisper: dies enim et noctes vigilat, stans in ieiunio et precibus ». Cum hora praeteriisset, neque ille prodiisset, ut semper, aperuerunt ianuam cellae eius, et cum intrassent, mortuum eum repererunt. Fleverunt fratres et dixerunt: « Abi, pater, quo vocatus es, a labore ad quietem, a dolore ad laetitiam ». Et sepeliverunt eum fratres cum honore in sepulchro patris eius Takla-Hāymānot die XXIII mensis ṭeqemt. Preces et benedictio eius sint cum dilecto eius Aḍqa Rufa'ēl, in saecula saeculorum. Amen.

Caput VIII.

Et praepositus est pater noster beatus Philippus, ut dixerat mortuus, et ratum est vaticinium patris eius Abraham, qui praedixit, mago interfecto, irridens eum et dicens: « Quis te praeposuit, ut magum interficeres; expecta, dum praeceptor et castigator constituaris ». Haec dixerat puniens eum et nesciens Dei gratiam super eum esse. Ecce praeceptor (mamher) et castigator factus est, et pastor bonus gregis Christi in iure et veritate, in amore et pace, in fide et operibus, in doctrina et administratione verbi Spiritus sancti. Fuit constans in verbo et in opere, in fide et Dei servitio, neque deflexit de via patris sui Takla-Hāymānot, neque dextrorsum, neque sinistrorsum. Neque regressus est aut recessit ab omnibus praeceptis Evangelii, *nam a puero satiatus erat potu quattuor fluminum p. 193. Evangelii.

Deinde convenerunt ad eum multi monachi et monachae,

ut locus ille excipere eos non posset. Eis magnum monasterium aedificavit, et dimidia pars mansit in rupe, ubi habitaverant ad sepulchrum patris nostri Takla-Hāymānot, turadantes et vigilantes super eum in glorificatione multa et amore puro et concordia perfecta. Et monachi aucti collocati sunt in eo monasterio, quod sub rupe est aedificatum. Et constituit officia singularum horarum, quando iis esset precandum, ad consummationem sacrorum et aedificationem corporis et sanguinis Domini Nostri et Iesu Christi. Cui sit gloria, donec occurrant *omnes* in unitatem fidei [1] ante faciem eius, et consistant ante thronum iudicii eius et sint omnes liberi eius, Deum verentes, electi et certatores et perfecti modestia et amore spiritali, non deflectentes de viis eius per omnes dies vitae suae. Nec prodiit unquam hic Philippus e cella sua, et versatus est in labore et ieiunio et precibus, in silentio et praestantia, et amore perfecto. Itaque pater noster animum suum commonebat de fragilitate voluptatum mundi, et sibi comparavit divitias, quae in mundo venturo manerent.

Tum praestantia eius cognita et fide recta, voluit addere gloriam gloriae huic patri nostro Philippo, ut esset ratum verbum dictum a Domino nostro: « Habenti dabitur et abundabit [2] » et iniit consilium Spiritus sancti animum metropolitae terrae Aethiopicae, abbatis Iacobi, et mentem ei dedit, ut antistites (mamherān) praeficeret qui sanctae Ecclesiae constituta firmarent et gregem pascerent in Christi fide, neve quis excederet e finibus suis in fines alterius, ut Apostoli vetuerant, iniussu huius patris nostri Philippi, qui thronum tenet patris nostri Takla Hāymānot, principis omnium pastorum. Qui misit vocatum patrem nostrum Mar Philippum ornatum. Cum venissent ii, qui missi erant, excepit eos cum amore et collocavit in cella bona. Quibus mane ad se vocatis, cum venissent, dixit: « Valetisne? » Qui responderunt: « Valemus ». Dixit iis: « Valetne metropolita, pater noster? » Responderunt:
p. 194. « Valet. *pater. Morem gerimus sanctitati tuae. Nos enim ad te misit pater noster metropolita, dicens: 'Veni ad me. Habeo enim verbum, quod tibi dicam quodque sit a Spiritu sancto ortum' ». Quibus auditis, pater noster Philippus, voce

[1] *Ephes.*, IV, 12, 13. — [2] MATTH., XXV, 29.

submissa: « Qua de re, inquit, ego inops et indignus cum metropolita colloqui possum? » Statim surrexit et cum legatis est profectus. Qui cum ad metropolitam venissent et dixissent patrem nostrum Philippum advenisse, metropolita dixit: « Statim ad me eum adducite. Dedecet eum foris stare, ante portas meas: regni enim caelorum portae ei patent ». Et tum eum statim introduxerunt. Quo viso, metropolita admodum est miratus lumen oris eius et gratiam divinam, quae super eum erat, et osculatus est eum osculo spiritali et iussit introduci in cellam bonam. Mane ambo convenerunt et una soli fuerunt. Hanc diem degerunt de Dei maiestate a mane ad vesperum colloquentes. Et allatus est liber « Apostolus » ex ordine eius et praecepta constitutionum apostolicarum quae pertinebant ad constituendos episcopos et metropolitas, ad presbyteros et diaconos, ad hegumenos et lectores et cantores, ad omnes Ecclesiae ordines. Quibus pertractatis, abbas Iacobus metropolita ei: « Vere, inquit, dico tibi, mi dilecte Philippe; multos per dies cogitavi de confirmandis praeceptis et lege divina. Solus enim sum hac in terra magna, neque habeo adiutorem qui populum doceat, propter hominum multitudinem. Nisi Deus populum suum in iure et veritate servaret et daret fidei eorum splendescere sicut sol, magnus esset labor antistitum Ecclesiae. Praeterea, haec terra est instar aliarum terrarum, neque solus possum instituere. Verum tibi dico, si duodecim metropolitae essent, iidem atque Petrus et Paulus, non possent peragrare dimidiam regionem. Est enim maxima omnium. Ne nunc quidem ego te vocavi, sed Spiritus sanctus te vocavit, ut omnium hominum magister fieres. Neque dignus sum, qui metropolita sim, *te decet esse; utinam te metropolitam huius regionis esse ne- p. 195.
cesse sit. Et nunc, mi dilecte Philippe, assentire, ut sis mihi adiutor in sacerdotio gerendo et fide corrigenda; sis metropolita terrae Aethiopiae, verum tibi dico; tibi enim datae sunt claves regni caelorum. Ecce ordinaberis episcopus, sicut ego, sicut apostoli iusserunt, fidei emendandae causa ». Quibus auditis, contremuit pater noster Philippus magno tremore, humum cecidit, ad pedes eius se proiecit. Flevit et lacrimans respondit: « Pater, cur me hac re afficis? Non est bene quod mihi haec gravia verba dicas, quorum ego peccator non sum dignus. Quomodo ego, pulvis et cinis, huic negotio difficili prae-

sim? » Et hac cum voce repugnavit ei. Diu flevit uterque. Tum, abbas Iacobus metropolita: « Nonne scis, inquit, a David propheta dicta: 'Fratres mei pulchri erant et adulti, attamen non acquievit in iis Dominus[1]'. Et Dominus noster, carnem nostram sibi induturus, ut Adam et progeniem eius liberaret, non e filia regis aut principis, auro ornata, incarnatus est, sed e paupere muliere, quae domicilium nullum habuit, quae non invenit locum ubi parvulum suum poneret, cum peperisset eum, sed in praesepio gloriae regem collocavit. Ita te quoque elegit prae omnibus claris terrae: non ego elegi te, sed elegit te Dominus noster Iesus Christus, et tibi favit Pater eius, et Spiritus sanctus vocavit te. Adspice, mi dilecte Philippe, orbitatem meam et vide transmigrationem meam e terra Aegyptia in hanc regionem. Metropolita, cum indignus sim, contra voluntatem meam ordinatus sum, et te decet esse episcopum ». Et respondit pater noster Philippus: « Mi pater metropolita, cur me ita urgis et cor meum dulcedine orationis tuae frangis? » Quibus dictis adiecit: « Pater, scis *per* vitam animae meae et vitam animae tuae me hanc orationem non probare, sed multo labore me affecisti, et ego insolesco contra
p. 196. te, cum tu sis metropolita, magni throni dominus, *ego autem sim pauper et egenus. Et nunc tibi dicam, mi domine, de populo docendo, verbo tuo obtempero, de sacerdotum autem ordinatione, quam dixisti, si me ad hanc rem adigis, vere tibi dico, volo et malo mori, quam vivere ». Tum persuasum sibi habuit pater honoratus abbas Iacobus metropolita, non optare beatum Philippum gloriam huius mundi, sed gloriam non interituram in mundo futuro sperare. Deinde *dixit* metropolita patri nostro: « Si mihi resistis, quid dicam? Fiat voluntas Dei ». Vespero eius diei una abierunt in cellam. Et venit tempus cibi vespertini capiendi, et recumbebant, et allatus est iis cibus. Benedixit metropolita et deinde patri nostro Philippo dixit: « Ego quidem benedixi, tu autem frange ». Tum beatus se prostravit et dixit: « Cur ita agis et me dolore afficis? Decetne me egenum accedere ad mensam metropolitae et cum eo reclinare? » Et denuo ei metropolita dixit: « Cur semper resistis dictis meis? Si dicis 'servus sum', de-

[1] *Ps.* CLI, 5.

cetne servum resistere domino suo et discipulum magistro suo omnibus in rebus, quae is dicit illi, sive bona, sive mala? » Et iterum dixit ei: « Philippe, obedientiane sit modestia, an praecepti neglectio? Dic mihi quaeso, pauperesne glorificabuntur in regno caelorum, an divites? » Quibus auditis, pater noster Philippus panem sumpsit et metropolitae tradidit, et se prostravit coram eo, dicens: « Ignosce mihi, pater: gravis enim mihi est modestia tua. Dic: ' Simul frangamus '. Et sumpsit metropolita panem, et simul fregerunt et ederunt et glorificaverunt Creatorem miraculorum.

Cum illucesceret misit metropolita ad regem nuncios, qui dicerent: « Mitte sacerdotes tabernaculi (kāhnāta dabtarā), nam haec est nobis et omnibus gentibus laetitia, ordinationi Petri similis. Reperimus enim virum, Spiritu sancto plenum, instar Stephani protomartyris, cui nomen est Philippus, Takla-Hāymānot filius. De eo testificatus est mortuus, cum diceret: ' Philippus episcopus terrae Sēwā ordinabitur '. Quod non per me accidit, sed Spiritus sancti voluntate ». Tum rex misit sacerdotes *tabernaculi sui, dicens: « Fiat sicut dixit. Mihi p. 197. placet ». Et placuit regi et metropolitae et populo. Tunc venerunt sacerdotes regis ad metropolitam. Dixit eis abbas Iacobus: « Cum hac in re mihi Spiritus sanctus assensus esset, ut Philippum episcopum regioni Sēwā ordinarem, mihi in sacerdotibus ordinandis et in populo docendo adiuturum, non ego, sed Deus eum constituit et a matris utero sanctificavit, sicut Ieremiam et Ioannem, et fecit eum multarum gentium patrem ». Cui responderunt hi sacerdotes: « Noli hoc facere. Duo enim in regione una episcopi erunt et populus in duas partes discedet et tibi gloria minuetur. Regni enim dimidia pars est haec terra Sēwā. Cur ita dixisti? Neque aetates futurae hoc probabunt; etiam ante nos *non* ita fuit; nos autem non loquemur ita, neque faciemus in Aethiopia ea quae patres nostri et metropolitae, qui ante nos fuerunt, *non* fecerunt ». Eos ita locutos esse invidia commotos cum cognovisset metropolita: « Si Philippus assensisset, non solum ei episcoporum ordinationem concessissem, sed etiam in solio metropolitano eum collocassem ». His auditis conticuerunt, et metropolita postquam exsurrexit, hominibus fidis, ut iis Deus dixerat, pronuntiavit: « Collige mihi alios qui iter verbi veritatis aequent ».

Et constituit Honorium et Adḫani et Iosiam et Matyam et Iosephum et Thaddaeum et Honorium et Gabra-Krestos et Qaustos et Ioannem, hos viros fideles. Et cum numerus eorum numerum duodecim apostolorum non expleret, hominem quaesitum nomine Mercurium ex regione Marḫa-Bēte invenit et illis adiunxit, et exstiterunt duodecim cum patre nostro ornato Philippo, de sede patris eorum Takla-Ḥaymānot. Tum metropolita missam agere coepit et res divinas procurabat secundum ordinem episcopalem, et fuit metropolita loco Christi, pater noster Philippus, loco Petri, illi loco omnium apostolorum. Rebus divinis peractis fuit eadem laetitia eo die, atque illo, quo Dominus noster Petrum principem capitum constituerat [1]. *Et cum imponeret metropolita manum capiti patris p. 198. nostri Philippi, direxit manum eius Dominus noster benedixitque ei, et induit metropolita patri nostro Philippo vestimentum sacerdotii, quo metropolitae sacra procurantes vestiuntur, et capiti eius coronam imposuit et infulam et cingulum aureum et omnia vestimenta sacerdotii, quae ipse sacra procurans indui solebat, et manu sua eucharistiam dedit et episcopum eum constituit, ut proxime infra se esset, et benedixit ei, cum diceret: « Is qui benedixit et manum suam sanctam Petri capiti imposuit, tibi benedicat suamque manum tibi imponat; is, qui sacerdotium Aaronis sacravit, tuum sacerdotium sacret; is, qui Petrum rupem fidei fecit clavesque regni caelorum ei tradidit, te fide recta firmet tibique committat potestatem in saecula saeculorum. Amen! » Et angelorum chorus dixit: « Amen. Et amen ».

Caput IX.

Et dixit his undecim antistitibus (mamherān): « Constituit eum Deus, ut pater vobis omnibus praesit; vos autem in eius dicione sitis, et audite omnia, quae vobis dicet. Si quis sacerdotium alicubi amiserit, ei committite, et si dicet Philippus: « indignus est », expellatur, si autem dicet « dignus est », res divinas procuret. Et monachatum amissum eidem com-

[1] Vide de Petri ordinatione narrationes apocryphas, coptica lingua scriptas, in P. Lacau, *Fragments d'apocryphes Coptes* (*Mémoires de l'Institut Franç. du Caire*, IX, pp. 62 sq., 75, 93 sqq., 106 sq.).

mittite. Qua de re dixerit Philippus: ‘ Sit ligatum in terra ’, ligatum erit in caelo, et quod in terra solverit, id in caelo solutum erit ». Et dixit his sacerdotibus: « Praefecti estis vestris dioecesibus. Dividite terram Sēwā in duodecim partes, ut Apostoli de omnibus regionibus mundi fecerunt ». Eos constituit et fecit antistites: « Adḥāni constituit in Dāmot, Honorium in Warab, Iosiam in Waǧ, Mātyān in Fatagār, Iosephum in Enār'ĕt, Gabra-Krestos in Dembi, Thaddaeum in Ṣelālš, alterum Honorium in Morat et in Gedā, Qausṭos in Māḥgel, Ioannem in Ke'l'at, Mercurium in Marḥa-Bētē. *Patrem autem p. 199. nostrum Philippum omnium principem constituit ad sepulchrum patris nostri Takla-Hāymānot. Quo facto, metropolita omnibus dixit et obsecravit obsecratione apostolica, constituta in Synodo eorum, ne quis fines alterius ingrederetur. Tum circumivit praeco, dicens: « Philippum episcopum secundo loco infra me ordinavi. Si ei quis non paruerit aut non obtemperarit morte moriatur ». Et omnes dixerunt: « Amen ! ».

Et si metropolita sacerdotes ordinaturus erat, patrem nostrum Philippum adibat, *qui* eligebat et metropolitae dabat, dicens: « Hic est dignus ». Itaque in amore multos dies vixerunt. Et dixit pater noster Philippus metropolitae: « Nunc dimitte me, ut in regionem meam redeam ». Respondit is: « Bene dicis. Quamvis abs te distrahi nollem per omnes vitae meae dies, abi tamen ad regem ». Et dixit pater noster Philippus: « Quomodo ego inops ad regem profisciscar? » Respondit ei metropolita: « Quoniam sacerdotibus eius es praefectus, te dedecet clam abire ». Et tum profectus est ad regem, qui ei cum amore excepto, multas res dabat. Cum eas accipere nollet, rex dixit: « Cur recusas accipere ? » Respondit ei pater noster Philippus: « Quorsum haec mihi, monacho pauperi? » Et dixit rex: « Si opes accipere non vis, sume quidem hoc flagellum, archipresbyter (liqa kāhnāt) enim es, et doce fidem in omni terra, quam imperio teneo ». Et dedit ei duo flagella, et in pace eum dimisit. Et rediit ad metropolitam, qui benedixit ei omnibus benedictionibus spiritalibus, et in pace eum dimisit, ut in regionem suam eat.

Et discessit Philippus ornatus a metropolita, et secuti sunt eum XI antistites, quibus pater noster Philippus dixit: « Redite in regiones vestras ». Responderunt ei: « Non profici-

scemur, nisi te in regionem tuam prosecuti ». Dixit iis: « Non vos iussi estis me in regionem meam deducere, sed ego iussus sum in suam quemque vestrum regionem remittere: ego, etsi
p. 200. indignus, ut Petrus, princeps omnium *Apostolorum, vos ut xi Apostoli ». Et dixit ei Adḥāni: « Nonne scis, pater noster Philippe, ubi Petrus princeps omnium Apostolorum constitutus est? » Dixit ei: « Caesariae, ubi aedificata est ecclesia Dominae nostrae Mariae Virginis ». Dixit abbas Adḥāni: « Num ibi regiones mundi sunt divisae, ubi Petrus est constitutus? » Respondit pater noster Philippus: « Non ubi est constitutus, sed Hierosolymis, cum in monte Oliveti convenissent ». Et dixit abbas Adḥāni: « Nonne similis est Hierosolymis patris nostri Takla-Hāymānot sepulchrum: propter enim preces eius Dominus hoc magnum munus nobis dedit. Num nos decet domum redire eius sepulchro non adorato? » Cui pater noster Philippus dixit: « O Adḥani, Deus tibi benedicat et preces patris nostri Takla-Haymanot bonum faciant iter tuum. Tu et Iosias abite in terras vestras, remotae enim sunt, et sit Deus vobiscum; venite autem ad diem memoriae patris nostri Takla-Hāymānot ». Annuerunt et iter suum ingressi sunt. Ipse etiam rediit in terram suam ad sepulchrum patris nostri Takla-Hāymānot, et cum venisset, se prostravit et precatus est, dicens: « Mi pater, Takla-Hāymānot, prius mortuum mei causa misisti, ut invitus monasterii abbas sim, nunc autem me ad summum honorem episcopatus commendasti, quo non sum dignus. Quod si fuit voluntate tua et benevolentia Domini mei Iesu Christi, dicam tibi, pater: ut olim Christi gregem in iure et veritate pavisti, ita etiam nunc mortuus tutor sis huius summae dignitatis. Non in terra ordinatus es instar carnalium, quos mors exspectat, sed in regno caelorum es ordinatus, ubi neque senescunt neque deficiunt neque iterum moriuntur. Nam fugisti et reliquisti cupiditates huius mundi caduci. Pater, non dico tibi, ut in carne iterum ordineris, quod iam non fiet, sed constituatur precatio tua. Pater, ego servus tuus serviam ut unus e grege tuo; bene faciendi et Deum metuendi imperitus, quomodo alios doceam? Sed pater, cum sim planta recens,
p. 201. ad aestum aestivum subeundum insueta et nesciens. *quid hic sit, non assuevi ad viam maritimam eundam, neque scio quomodo undae et fluctus maris mundi fluctuent, neque fui in di-

scrimine undarum venti, ne unum quidem diem in gurgite natans peregi, neque navis mea usque ad hunc diem fracta est. Pater, ecce me paro ad navigandum in mari, serva navem meam ab undis horum diabolorum, qui animi navem vi peccati transfigunt. Olea sum parva, nondum satis foliata, et radicibus infirmis; inter sentes enim sum plantatus. Tu, pater, firma radices eius in humo ima, et irriga eam aqua paradisi, et serva folia eius ab aestu spiritali. Pater, adiuva me et benedic mihi, et vis praecationis tuae sit dux meus! Et oppidum tuum serva praesidio tuo. Nam iusti precibus servatur urbs neque perit ». Ea precatus audivit vocem divinam dicentem: « Amen ».

Caput X.

His actis, pater noster mansit bene gregem pascens. Cum memoria patris nostri Takla-Hāymānot accidisset, undecim antistites convenerunt, sicut eos hic abbas admonuerat. Et cum ad montem Asbo accessissent, de capitibus coronas dempserunt, ne ei coronati occurrerent, cum in sede patris eorum Takla-Hāymānot sederet. Atque ab hoc die antistites constituti non ingrediuntur coronati coenobium patris eorum; nam animis sunt modesti, ut nati e patientia cincto et humilitate vestito patre nostro Takla-Hāymānot. Neque ut in sede sederent, sedem deferunt, sed ipsi portant eius sedem in amore erga hunc patrem nostrum Takla-Hāymānot, principem suum. Et fecerunt memoriam patris sui clare et honeste. Deinde omnes convenerunt et ei dixerunt: « Nunc remitte nos, pater, in regiones nostras. » Qui iis dixit: « Deus sit vobiscum, audite quid vobis sim dicturus! » Dixerunt: « Loquere, *pater. » Nam eum p. 202.
verebantur et diligebant et multis cum laudibus celebrantes, unus ex iis portabat sedem eius, alter baculum eius, tertius soleas, quidam manum eius tenebat, alii eum deducebant et viam monstrabant. Id fecerunt humilitatem quaerentes. Et dixit iis pater noster Philippus: « Nunc dicam vobis, domini mei. Scitis me non mea voluntate hanc dignitatem accepisse, sed Dei voluntate, cui sit gloria, et ego sum quasi servus erga vos. Quod moneo, non meum est, sed Dei verbum sequitur, quod est acrius gladio bipenni qui animum a corpore separat

et nervos de artibus resecat. Omnibus igitur vobis dicam: Venite, ut hodie quotannis, ut patris nostri Takla-Hâymanot memoriam incenso et anaphora faciatis, et venite omnes cum donis vestris. Sic fiat in generationem et generationem. » Et ei dixerunt: « Ita fiat, secundum verbum tuum ». « Et nunc dicam vobis, unicuique vestrum. Alternis vicibus e regionibus vestris mittite sacerdotes, qui sepulcrum patris nostri Takla-Hâymanot suffiant. » Et omnes una voce dixerunt: « Omnia quae nobis dixisti, audiemus ». Et tum in singulos menses distribuerunt inter se officium suffiendi sepulcri patris sui. Et dixit iis pater noster Philippus: « Hoc constitutum sit una cum excommunicatione apostolica generationi futurae: quique resistet aut deleverit hanc legem vocis divinae sit sub excommunicatione apostolica. Et una ex undecim domibus, quae post vos constituentur, si repugnaverit, anathematizetur et expellatur ex hereditate patris nostri Takla-Hâymanot in saecula saeculorum. » Et dixerunt omnes: « Amen ».

Caput XI.

Tum eos in pace dimisit. Hi redierunt in suas regiones et manserunt, alternis vicibus tura dantes et memoriam eius facientes. Et postea, cum omisissent suffitionem diebus patris nostri Theodori, memoriam autem facere diebus patris nostri
p. 203. Iohannis Kamā, correpti sunt voce *exsecrationis. Hic autem pater noster Philippus circumibat terras, sicut Petrus et Paulus, Evangelium sanctum praedicans, et duo flagella secum portabat, quae rex dederat, et qui recusaverat ad Dei verbum se convertere, eum flagellabat et verbo suo admonebat ut ad Trinitatis fidem se converteret. Et virum, cuius uxor mortua erat, vetabat iterum matrimonium inire, et mulieri, cuius maritus erat mortuus, idem non concedebat. Vetuit virum fratris uxorem ducere, mulierem autem nubere mariti fratri, aut sororis marito. Haec monuit secundum canones Apostolorum. Qui non parebant, iis faciebat sicut supra diximus, donec a peccati via deflecterent. Itaque permansit, omnibus in terris praedicans, et multos monachos et monachas spiritaliter genuit, et semper instituebat eos et e fonte Evangelii bibere dabat eis, et fuit magnis, ut magnus, parvis, ut parvus, ut Pauli similis fieret,

qui dixerat: « Factus sum parvulis tamquam parvulus et omnibus omnia factus sum [1] ». Neque dicebat: « Hunc amo, illum odi » sed pariter omnes eos ut pater et mater amabat. Et clementia ut columba vestitus, fideles, qui liberis suis connubium parabant, in quo ipse sacerdotio fungebatur, vehere eos et ducere cum cantu et laetitia iubebat, ipse autem veste solemni indutus prodibat, tamquam sponsus procedens de thalamo suo [2]. Adspicite clementiam eius! Cum placidus erat minas nescire videbatur; cum autem minabatur, inscio clementiae similis erat, ut nemo ad eum accedere posset, et sedebat solus, cum Deo suo loquens. Adducebantur ad eum ex omnibus regionibus terrae Sēwā sacerdotes, qui sacerdotium suum amiserant, et monachi, et consolabatur [3] eos et demonstrabat eis [4]. Fessos allevabat, tristes consolabatur, nudos vestiebat, esurientes nutriebat, superbos patientia vincebat. Ita versatus est pater noster Philippus per omnes dies vitae suae.

Quae cum omnia sciret [5], loquebatur iis, qui dicebant ei: « Ordina nobis sacerdotes: te enim Deus elegit et caput *capitum te constituit, nam et rex et metropolita tibi concesserunt ut sacerdotes et diaconos ordinares. Qua de causa repugnas, pater? » Eis sanctus dicebat: « Tres res mihi sunt molestae. » Interrogabant: « Quaenam, pater? » Dicebat: « Prima, quia indignus sum hoc munere, ut sacerdotium committam; secunda autem, quia pater noster Takla-Hāymānot e monasterio in monasterium migrare solebat, et hanc cellam adeptus est, a Spiritu sancto ductus, qui ei huic speluncae benedixit. In ea certamina sua perfecit et sepultus est. Benedictio precationis eius sit nobiscum usque ad saeculum. Nonne scitis, fratres, eum ab abbate Iohanne metropolita ordinatum huic rei repugnasse et sacerdotes ordinare noluisse, et cum montes et monasteria instar avis circumvolaret, vixisse. Si sacerdotium daturus fuero, sepulchrum eius conventum magnorum et parvorum faciam, et convenient ad id boni et mali, sacerdotium quaerentes, ut summae angustiae exsistant neque sancti prope sepulchrum habitantes noctu aut interdiu quietem reperient, et fiet sedes hominum, qui otium, discordias, corporis quietem

p. 204.

[1] Cf. I *Corinth.*, IX, 22. — [2] *Ps.* XVIII (XIX), 5. — [3] De paenitentiae sacramento usurpatur. — [4] Aliquid desideratur.

amant. Nonne novistis homines in regis aedibus habitantes vestibus mollibus [1] et auri argentique, quod veterascit et perit ornamento fastidire et valde arrogantes esse. Qua de causa metuo, ne patris nostri Takla-Hāymānot monasterium locum delectationum et voluptatum reddant propter regum et principum conventum. Hoc enim loco non habitant arrogantes, sed boni et praestantes. Multi enim ibi nascentur velut arena maris, qui in terra ut angeli erunt. Qua de causa recuso sacerdotium dare. Etiam hoc vobis dicam, quod timeam. Extremis enim diebus venient homines fideles et homines audaces, et fideles facient audaces, et audaces fideles. Etiam peccatores iusti videbuntur et iustis conviciabuntur, et antistites (mamherān) constituentur non a Deo electi, sed constituentur
p. 205. mercede et verbis iniquitatis, *et non constituentur qui Scripturae sunt periti, sed ii qui terrarum linguam scient. Et ii non cessabunt apud reges et principes (makuānent) calumniari, donec ordinationem fraude accipiendam parant, soli terram repleturi. Et monachi tempus in iudicum conventu degent, una cum laicis iudicandi. Quod si intra hoc monasterium fiet, vehementer tumultu ordinationem appetentium labefactabitur. Sed non vacillabit hoc monasterium; concutere autem illud temere cupientes, vis divina delebit: donum enim ei magnum a Deo datum est propter preces patris nostri Takla-Hāymānot ». Sic praedixit hic sanctus, qui res futuras sciebat per Spiritum sanctum, qui ei inerat! [2]

Tum pater noster Philippus eos docere perrexit et fuit iis exemplum verbo et opere. Qui iis imperavit ut alter alterum amaret et hostes beneficiis afficerent, in amore enim omnis lex perficitur. Qua de causa praeficiebat iis dicens: « Date de iis quae habetis inopi et vobis afferent pro sua facultate. » Et donabat viris et mulieribus, qui pauperes erant. Et aliquando, tempore penuriae ei patera, cerevisiae plena, est allata ut biberet. Dixit: « Dum bibo, ille potu carebit, ei ferte ». Et cum haec cerevisia huic allata esset, ipse quoque respondit se iam bibisse et ad alium misit, alius autem ad alium misit. Quae patera duodecim domos ambiit, cum ab alio

[1] Cf. Matth., xi, 8. — [2] Haec omnia, vaticiniis ex eventu simillima, in facta posteriora, nobis obscura spectare videntur.

ad alium mitteretur, ut ratum esset praeceptum amoris, quod omnibus virtutibus maius et perfectius est. Misit quidam pateram illam his dictis: « Praeceptor meus sedet potu carens, quomodo bibam? » Iuramento prolato eam celeriter remisit. Et rediit patera ad eum, qui miserat. Quod cum pater noster Philippus vidisset, Deum glorificavit, qui iis donum magnum et amorem Spiritus sancti dederat. Tum bibit et sociis suis dedit, et biberunt omnes et satiati sunt omnes hac una patera, *idonea uni tantum homini. Propter enim preces eius a Deo p. 206. est benedicta. Et liberis suis: « Scitisne, inquit, huius rei mysterium? Si enim primus ex ea bibissem, ea solus usus essem. Ecce videte, quot homines potu satiati sint; omnes enim libenter et cum *sui* aspernatione se gesserunt. » Qua re audita omnes, qui ibi congressi erant, multum sunt mirati et dixerunt: « Mirabilis est Deus in sanctis suis [1]. » Aliquando patri nostro Philippo salis aliquid est allatum. Qui tum dixit: « Ferte ad alium. Ego enim iam comedi cibum salsum, cum ille insulsum edisset. Quid excusationem afferamus, cum Dominus noster Iesus Christus dixerit: ' Quid est amor? Ut proximis vestris tribuatis, ut vobis ipsis. Id est legis perfectio '. Quibus dictis, remisit fratri, hic autem alteri, dum duodecim domos ambiret, ut supra de cerevisia narravimus. Ita vixit multos annos docens.

Qua in re cum pater noster Philippus tempus consumeret, rex a viris magiae peritis pellectus est. Qui regi nomine Amda-Ṣyon dixerunt: « Duc in matrimonium uxorem patris tui. Quid ad te? Non enim eam ducis, quae te peperit. Scimus autem regnum tuum staturum esse, si eam duxeris, sin aliter non staturum. Eo autem deceptorum consilio audito rex patris sui uxorem in matrimonium duxit. Qua re in Christum credentes perculsi, ad patrem nostrum Philippum venerunt et ei narraverunt quid rex fecisset. Pater noster Philippus dixit: « Si Deus nobis tribuit ut martyres simus, nonne martyres erimus? » Tum dixit: « Quid agam, Domine, harum ovium causa, quas mihi dedisti? Eas si mecum abduxerim, non possunt esse firmae ad tormenta ferenda. Sunt enim inter eas, quae iter suscipere non possunt. Quibus relictis sine pastore, nonne of-

[1] *Ps.* LXVII (LXVIII), 35.

fendam apud Deum? Sin aliter, non metuo verbera, aut vincula, aut exsilium, cum regem coarguam de peccato eius et
p. 207. de viris dolosis et magis, qui eum docuerunt *rem quae Deo displiceat. Ego constitutus sicut Petrus, summus Apostolus, omnem populum in viam rectam ducam, ut ipse dixit: ' Estote gregi Dei exemplum [1] '. Dominus autem noster dixit in Evangelio [2]: ' Nolite timere eos qui vos occidunt, animas autem vestras non possunt occidere! ' Tu autem, Domine, scis mentem meam. Reges et iudices non pertimebo, ut tui nominis causa martyr fiam, in legibus tuis manens cum ovibus his quas mihi dedisti. Neque dubito martyr esse, et si profectus ero, tui nominis pulchri causa sanguinem meum profundam. Domine, monstra mihi viam ad animi mei utilitatem. » Et denuo pater noster Philippus Deum est precatus et dixit: « Domine Iesu Christe, si tibi placet ut martyribus sanctis adnumerer, qui tui causa sanguinem suum profunderunt et vitam aeternam assecuti sunt, ecce ego quoque pro te sanguinem meum profundere volo. His autem ovibus tu es pastor et serva eas a lupo rapaci et ab insultatione inimici occulti aut manifesti. » Et tum dixit: « Quid prosit, si episcopus ordinatus, regem in errore eius non coarguam? Qua re visa, populus regi similis erit, sed metuo pro ovibus, ne a lupo rapiantur. Eas, Domine, serva in amore tuo et defende gratia tua et regni tui dignas redde in saecula saeculorum. » Quibus precibus finitis, vocem de caelo audivit, ter dicentem: « Amen, amen, amen! »

Deinde Philippus, liberis suis convocatis, dixit: « Liberi mei, neglexit ille legem Dei. Si tacebimus nec eum vituperabimus, erit nobis ignominia et dicemur metuere supplicium corporale, quod Dominus noster nos timere vetuit, dicens: ' Nolite timere eos qui occidunt corpus vestrum, animam autem vestram non possunt occidere ' [3]. Et hortationem nostram si rex audierit, servabitur et animam suam a damnatione pec-
p. 208. catoribus parata liberabit. Si autem vocem nostram, *vitam in se habentem, non audierit, nos servabimur, sanguinem autem nostrum Deus ab eo reposcet. Deus enim me constituit speculatorem omnium terrarum [4], quae illi sunt subiectae. Qua de

[1] Cf. I Petr., v, 3. — [2] Matth., x, 28. — [3] Matth., x, 28. — [4] Cf. Ezech., xxxiii, 6.

causa ad eum ibo hortaturus. Si Deo placet, redibo, si autem moriar voluntate eius, aut expellar, id mihi lucro erit ». Dixerunt ei: « Cur nos, pater, deseris? Abest enim qui nobis sit spei. Ubi tui similem pastorem bonum reperiamus, qui vitam suam pro ovibus posuit? » Cum audivissent ab eo [1] a patre nostro Philippo dicta, lamentatio magna orta est et dolor resedit in sacerdotes et diaconos, senes et pueros, qui lacrimas ut aquam profundentes, genua eius amplectebantur et ei dicebant: « O pater, pater! parati sumus potius pro te mori, quam mortem tuam videre ». Et flevit ille et dixit iis: « Cur ita facitis et me dolore afficitis? Nonne Dei voluntate eo proficiscor? Et si iter meum Deo placet, cur ita fletis? Si autem ex cordis mei arbitrio eo, quid facere potestis, ut legem Dei omittam, nec eo eam, quo me vocat? Me in lege Dei prohibere non potestis. Sive redibo, sive non redibo, sive expellar, sive moriar, modo voluntas Dei perficiatur. Ecce Ezechias vobis pro me abbas esto ». Tum lacrimaverunt omnes et dixerunt: « Si profectio eius ex voluntate humana est, usque ad mortem nostram patrem nostrum non deseremus; si autem eius profectio est ex voluntate divina, nemo eum retinere potest ».

Caput XII.

Tum pater noster Philippus surrexit et iter iniit, et comitati sunt eum viri et mulieres, loquentes: « Vae nobis, pater noster, abhinc faciem tuam non videbimus, neque vocem tuam audiemus, neque reperiemus pastorem bonum, tui similem et patrem consolatorem ». Et comitati sunt eum multi discipuli eius, et abbas Honorius qui e terra Warab erat. Et *celeriter iter trium dierum confecit et venit in terram Sawan, p. 209. ubi rex erat. Cum venisset, eodem die regi nunciatum est patrem nostrum Philippum venisse. Dixit rex: « Cras eum ad me adducite ». Postridie sedit rex in sede sua regia et dixit: « Adducite abbatem Philippum archipresbyterum (liqa kāhnāt) ». Statim *adductus est* et ante eum statutus. Dixit rex: « Quae causa te ad me adduxit? » Respondit beatus Philippus: « Ut

[1] Aliquid desideratur.

a te audiam de rumore quodam, utrum verus sit necne? » Dixit rex: « Quid id est? » Respondit beatus: « Te in matrimonium uxorem patris tui duxisse et contra legem fecisse, ita audivi ». Rex dixit: « Quid ad te, quod eam uxorem duxi quae me non peperit. Dixerunt enim mihi sacerdotes antistites (mamherān): ' Nisi eam uxorem duxeris, regnum tuum non prosperum erit ' ». Pater noster Philippus dixit: « Illexerunt te magi et harioli, a Satana, mendacii patre docti ». Quibus verbis auditis vehementer iratus, rex satellites patris nostri Philippi os percutere iussit [1]. Satellites cum iussu regis eum verberarent, corona de capite eius humum cecidit. Quam coronam abbas Honorius sublatam osculatus est et dixit his satellitibus: « Feriat vos Deus ictu irae suae ». Et tum pater noster Philippus Spiritu sancto impletus regi: « Noli putare apud Deum personae hominis, sive regis, sive divitis, acceptionem esse [2]. Eius nomen est Iudex iustitiae, amictus vestimento retributionis et indutus veste ultionis, ut sceleratos die iudiciali ulcisceretur et iustitia cinctus, ut iuste iudicet vexatos a regibus oppressoribus, ut ratum sit dictum: ' Iudicabit orbem terrarum in iustitia, et populos in aequitate [3] '. Nonne audisti, rex, id quod iusserunt Apostoli, quibus dixit Dominus noster: ' Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit [4] '. Hi dixerunt: ' Filius baptismi unam ducat uxorem, qua mortua
p. 210. alteram ducat, *si se continere non potest. Tertia autem ducta uxore, cum sit christianus, gregi Christi ne adnumeretur '. Id dixerunt de viro, cuius mortua est uxor, et de muliere, cuius maritus est mortuus. Tu autem contra legem fecisti. Nos enim dolemus polygamiam, tu autem deterius fecisti. Factus enim es quasi alienus, matre tua in matrimonium ducta ». Tum rex iratus patrem nostrum Philippum verberari iussit. Cum verberaretur, sanguis ex ore eius et naribus profluebat. Sanctus laetus fuit, cum primus martyr terrae Aethiopiae esset. Et iussit rex eum scutica caedi et caesus est, donec apparuerunt ossa lateris eius et cutis carnis eius a collo usque ad lumbos. Cum eum verberare destitissent, sanguis eius sicut aqua profluxit. Et accesserunt discipuli et abstulerunt eum in domicilium suum, quod prope erat. Cruor autem sancti ignis facta

[1] Cf. *Act. Apost.*, XXIII, 2. — [2] Cf. *Rom.*, II, 11. — [3] *Ps.* XCVII (XCVIII), 9. — [4] Luc. X, 16.

exarsit. Rex etiam discipulos verberari iussit. Milites ei dixerunt: « Cur eos verberabis? et cur nos iussisti? Ecce cruor patris eorum, quem verberasti, ignis est factus, et fugimus, ne combureremur. Ubi sanguis stillavit ibi est ignis ». Tum rex iussit exercitum suum ignem exstinguere et aquam in eum fundere. Et regis milites prodierunt multa vasa portantes et fuderunt aquam in eum, sed ignis non exstinguebatur et consurgebat, quasi coacervatis lignis siccis et feno, et aqua ignis facta est, similis ei, qui Eliae prophetae factus est, cum sacrificium eius devorasset. Et omnes regis milites aufugerunt et retulerunt, quae acciderant. Rex surrexit et eo cum multis militibus est profectus, et vidit ignem ardentem. Qua re visa praecepit ut sanctos verberari desisterent, ipse autem metu flammae commotus aufugit. Tum precatus est pater noster Philippus Dominum, ut ignis exstingueretur: « Domine, monstra miraculum tuum in sanctos tuos et iube nunc flammam exstingui ». Et statim exstincta est [1]. Discipuli autem beati frustula corporis et cruoris eius collegerunt, ut ad sanandum et benedicendum sint.

Postridie rex e fuga rediit et in throno suo sedit. Iussit adduci patrem nostrum Philippum, et adductus est hic *manibus post tergum vinctis et ante illum constitutus est. Et iussit iterum ei vestimenta demi et eum nudum statui. Et dixit rex: « Pudeat te, monache! » Et dixit ei pater noster Philippus: « Pudeat te, qui matrem duxisti, ut animal mente carens. Me oportet nudum stare, cinerem ante cinerem. Nam etiam Dominum gloriae regem, Iudaei nefarii nudaverunt et cruci, ut maleficum, affixerunt. Sed tu non putasti, cum me dedecorares, me laetatum et vehementer gavisum esse. Toleravi enim diminutionem passionis Iesu Christi in carne mea. Pudeat te, qui consistes nudus ante iudicem tuum Christum et ante milia Angelorum eius; me vero non pudet. Quae enim habeo, tibi quoque sunt; et quae filiae meae monachae habent, tuis quoque uxoribus sunt; tu es iis pro capro et ariete ». Et iratus est tum rex et iussit evelli ei pudenda carnis eius. At Philippus beatus dixit: « Bene mihi fecisti cum impuritatem peccati mei removisti ». Et iterum p. 211.

[1] De incendio cf. *Chron. brevis Aethiop.* (Basset, *Journ. As.*, VII, 17, p. 324), *Acta s. Honorii*, f. 28 (vide supra p. 73), *Acta s. Baṣalota-Mikā'ēl*, f. 33 (v. supra p. 30).

rex iussit in castra nudum adduci patrem nostrum Philippum, ut eum viderent et viri et mulieres et pellices regis.

Caput XIII.

Tum abductus est post tergum, ut fur, vinctus, et hunc diem peregit, a fidelibus circumdatus, qui omnes flebant, nuditatem patris nostri Philippi videntes. Cum ad regis uxores adductus esset, dixerunt illae: « Pudeat te, monache ». Dixit iis beatus: « Pudeat vos, mulieres, vos cum marito vestro, qui matrem duxit in matrimonium et legem evangelicam violavit ». Item dixit iis: « Pudeat vos, unius viri uxores, socrus et nurus ». Monachae autem, quae nudae cum patre suo ibant, reginis dicebant: « Pudeat vos, mulieres! Nos sumus sponsae unius virginei sponsi Iesu Christi, vos autem in stupro cum uno viro coitis, cum XIV numero sitis, ut Cain filiae. Et quam vidistis patris nostri nuditatem, est vestro marito, quam vidistis nostram nu-
p. 212. ditatem, *vobis est. Quod si vobis non esset, nos puderet. Pudeat igitur vos, nam nudae ibitis, ut coram Iudice omnis creaturae cum timore et tremore stetis ». Tum omnes martyres abducti sunt, in canum modum protracti. At pater noster beatus Philippus, omnibus his afflictionibus, quae ei supervenerant, laetabatur et dicebat: « Gloria tibi, Domine, qui mihi magnum hoc donum, ut pro nomine tuo sancto patiar tribuisti, sed imputa mihi hoc ad remissionem peccatorum meorum ». Cum caenae tempus venisset, rex canes adduci iussit, qui leones corripiebant [1]. Adductus est et beatus pater noster Philippus et ante eos nudus et manibus post tergum vinctis collocatus. Dixit rex: « Nonne dedecore nunc es affectus? » Respondit pater noster Philippus: « Pudefacte, quid mihi accidit, ut dicam: 'ignominia affectus sum?' Te pudeat, qui victus es ab uno monacho mortali et inopi ». Iratus est rex et dixit: « Num victus sim a te, videbis ». Et dixit rex: « Ubinam sunt canes, quos adduci iussi ». Responderunt ei: « Hic sunt, domine ». Dixit: « Dimittite eos et dissolvite, ut dilanient eum in vulneribus eius ». Satellites fecerunt sicut iusserat. Canes eum cursu

[1] In tabula huic loco addita (f. 181 *r.*), non canes, sed leones depicti sunt. Cf. *Acta s. Aaronis* ff. 28 *v.* (v. supra p. 72, 9 s.), 30 *v.*; *Acta s. Basalota Mikʾēl* f. 30 *v.* (v. supra p. 24, 31 s.).

petierunt. Eis sanctus pedibus suis benedixit: manus enim eius erant constrictae et post tergum vinctae, ne iis pudenda sua tegeret, qua de causa pedibus suis benedixit. Cum canes patrem nostrum Philippum vidissent, sub pedes eius se volutaverunt, quasi salutantes eum, et in loca sua redierunt, nec quidquam ei nocuerunt. Et dixit beatus pater noster regi: « Pudeat te, rex malae fidei: ecce cum canibus tuis virtute Domini mei Iesu Christi, cui sit gloria, victus es ». Quid nunc dicas? » Tum rex iratus quasi ebrius factus est et eum hasta transfigere voluit, sed consurrexit regina, et vestimentis suis laceratis, comprehendit eum et dixit: « Quid cum hoc monacho pugnas, qui vitam suam manibus tuis tradere cupit ». Tum milites patrem nostrum Philippum ceperunt et a rege amoverunt *et vestimentis suis eum induerunt, et dixerunt ei: p. 213.
« Cur ita regi maledicis? Nonne scis vitam et mortem in manibus eius esse? » Dixit pater noster Philippus militibus: « Nonne scitis, liberi mei, a Domino meo in Evangelio sancto dicta: ‘ Nolite timere eos qui occidunt corpus vestrum, animam autem vestram non possunt occidere, sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam ’ [1]. Quae est vita sub huius pudefacti potestate, si auctoritatem corporis iudicandi habet? vita est penes Deum, qui vivos et mortuos iudicet, cum regnum eius veniet ad vindicandum ».

Et consuluit rex suos, et illexerunt eum consilio suo, cum dicerent: « Quid cum hoc monacho certas? Mittatur ex urbe tua, et ibi morietur, nam iussum tuum neglexit ». Id consilium regi placuit. Prima luce ad beatum patrem nostrum Philippum nuncios misit, dicens: « Ex urbe mea expulsus es, neque faciem meam abhinc videbis ». Venerunt ii qui missi erant et martyri beato patri nostro Philippo omnia a rege dicta nunciaverunt. Dixit pater noster nunciis: « Dicite regi vestro: bene mihi fecisti, quod mihi dedisti ut perficiam a Domino nostro Iesu Christo, a quo defecisti, dictum: ‘ Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam [2] ’. Qua de causa e civitate tua expellar, tu autem cum uxoribus tuis et viris tui similibus e regno Domini mei Iesu Christi expelleris. Me removes a tuis malis facinoribus et e conspectu vultuum, ira plenorum. Quod autem di-

[1] Matth., x, 28. — [2] Matth., x, 23.

xisti: ' Non videbis abhinc faciem meam, verum de te ipso prodixisti, me terrere cupiens; scito et vocem meam intellege: post tres annos morieris, et *Deus* regnum tuum filio tuo Sayfa-Ar'ad dabit ». Ita locutus est iis beatus Philippus et addidit: « Nunciate Domino vestro regi rem arcanam, quae postea erit: multa iudicia tua subii, iterum subibo tempore fili tui Sayfa-
p. 214. Ar'ad passiones pro *fide recta, sicut Apostoli, patres mei. Quod non doleo, sed gaudio plenus sum, quod contigit mihi ut pro nomine Domini nostri Iesu Christi patiar ut cum eo regnem, ad verba ab Apostolo dicta perficienda: ' Si sustinebimus, et conregnabimus, si commortui sumus, et convivemus ' »[1]. Haec verba et his similia pater noster Philippus nunciis dixit, qui ea regi retulerunt. Quibus auditis, rex milites suos iussit, dicens: « Abducite hunc monachum in terram Quarquara, et e finibus eius eductum mittite, ut in terram Tegrè descendat, et portae urbanae custodi mandate: ' Si ad te iterum venerit hic monachus, qui regi non paruit, ut in urbem redeat, ne sinas eum intrare, si autem intromiseris eum, caput tibi amputabo ». Iusso accepto milites, ad patrem nostrum Philippum profecti sunt et ei dixerunt: ' Surge, rex tibi dixit ut in exsilium abires ». Et denuo dixerunt ei hi milites, eum irridentes: « Monache superbe, quis te huc e tuo monasterio venire coëgit et quis te e terra tua vocavit? Nonne ex tua voluntate omnes hae afflictiones et flagellationes subiisti? » Respondit iis pater noster Philippus, Christi martyr: « Infidi, eum rege vestro apostata, dicite mihi, quaeso, quis Dominum nostrum Iesum Christum de caelo descendere coëgit, ut ex Virgine nasceretur, et quis eum adegit ut ab Iudaeis cruci affigeretur, et in lignum crucis sublatus interficeretur, et in sepulchro conderetur? Sed ille virtute divina e mortuis resurrexit tertio die et liberavit Adam et liberos eius a servitute inimici. Ita nobis quoque imperavit, ut martyres in veritate essemus. Vos peccatis, per vim a patre vestro Satana adacti, nos autem martyres sumus non ab aliquo coacti, sicut Pater noster caelestis nos instituit, ut peccatorum nostrorum remissionem apud eum assequamur ». Quo sermone audito, mirati sunt milites dulcedinem orationis et lucem faciei eius, et dixerunt ei: « Ad preces tuas confugimus ». Unus au-

[1] II *Timoth.*, II, 11, 12.

tem ex iis digitis suis sumpsit saniem vulnerum sancti et oculum suum dexterum caecum illevit. Qui sanatus statim videre coepit. Qua re visa mirati sunt omnes et dixerunt: « Re vera Dei *servus es, per iniuriam damnatus ». Et dixit eis pater p. 215.
noster Philippus: « Quid miramini? Non sanies mea eum sanavit, sed Dominus meus propter fidem eius eum totum sanum fecit. Eamus quo rex vester iussit ».

Caput XIV.

Tum comprehensus est, ut abduceretur. Et venerunt discipuli eius et mulieres, qui cum eo erant, et omnes dixerunt: « Nos quoque tecum abducemur, praeceptor noster ». Et dixerunt milites: « Non possumus etiam vos deducere sine regis iussu ». Quo dicto, redierunt et regi omnia narraverunt, quae sancti martyres locuti erant. Dixit rex: « Qui ire vult, cum eo eat, sed signa imprimatis virorum et mulierum oribus et manibus notandi causa, ne e civitate abire possint ». Tum milites ad Philippum ornatum accesserunt et liberis eius viris et mulieribus dixerunt: « Desistite ire et in regiones vestras redite ». Eis sancti dixerunt: « Non redibimus retro ». Milites iis dixerunt: « Si redire recusatis, rex vobis signa imprimi iussit ». Omnes sancti una voce dixerunt: « Non desistemus patrem nostrum sequi, ob metum ne signaremur. Valde laetaremur, si rex nos interfici iuberet ». Et mirati sunt milites, videntes eos animis paratos esse, et iis signa imprimere coeperunt. Et ipsi porrigebant [1] ora sua et manus suas sine metu, sancti autem frontem notaverant, et manus eius et pectora a collo usque ad ventrem, primo die, quo eum verberaverant. Et numerus signatorum fuit XXIV monachi et XIV sanctae mulieres.

Tum surrexerunt milites, ut beatum Philippum ex urbe educerent cum viris et mulieribus, de quibus supra mentionem fecimus. Et regis sacerdos, nomine Zar'a Krestos, e civitate terrae Angot nomine Guemāt oriundus, cum hoc patre nostro martyr factus est, cum amore divino commotus esset. Nam regis minis pro nihilo habitis, neque verbera *neque vincula p. 216.
neque nudationem pertimuit, memor nuditatis Domini nostri

[1] Dubia interpretatio. Textus corruptus.

cruci affixi die parasceves tempore Pilati, procuratoris Romani, Caipha et Anna pontificibus maximis. Hic Zar'a Krestos non rediit, fidei causa expulsus, donec cursum vitae suae in exsilio conficeret. Auxilium huius martyris victoris sit nobis columna firma ante inimici faciem. Amen.

Caput XV.

Redeamus ad narrandum de patre nostro Philippo et ceteris monachis fidelibus. Is cum duceretur, dividebant in partes parvas cutem carnis eius, quae a corpore recedebat velut cortex arboris, et frusta vestis purae vulnerum eius sanie tingebant, ut remedia sint aegrotis, et iis qui a diabolis correpti erant, cutis sancti imponebatur, his verbis additis: « Sanamini precibus patris nostri Philippi, Christi martyris ». Qui statim uno momento sanabantur. Et hic pater noster Thomae similis est factus cute sua detracta, qua aegrotos sanabat; sanies autem oculos caecorum aperiebat, et muti loquebantur ea perliti, surdi audiebant, claudi ibant, scabiosi repurgabantur. Et vulnera flagellationis Philippi patris nostri non claudebantur [1], et cum multos dies manerent miracula efficiebant. Is similis fuit Paulo Apostolo, qui cum capite percusso et corpore defatigato [2] laboraret, Deum ter precatus est, ut hi morbi carnem relinquerent [3]. Noluit Deus, neque placuit ei, ut Apostolus hic a morbis requiesceret, qui corpus conficiunt; sed donavit ei magnam gratiam varia dona Spiritus sancti dandi et vim sanandi ad morbum demovendum qui potestate praeditus est in omnes carnigeros, qui ad eum cum fide accedebant. Sic etiam patris nostri Philippi, qui a verberibus laborabat, vulnera alios sanabant ad
p. 217 *vim divinam ostendendam. Et omnes qui in preces eius credebant, servati sunt. Et si is, cui res familiaris rapta erat, dicebat: « Deus Philippi, ne sinas id amitterem », bonum suum reperiebat sive mulum, sive asinum, sive bovem, sive ovem, sive capram, sive equum amiserit, sive camelum. Et si bestiae adiurabantur his verbis: « Precibus patris nostri Philippi ne rapiatis bona nostra », animalia dicta cum bestiis

[1] Locus corruptus. — [2] Textus exhibet « corporis salebris ». — [3] Cf. II *Cor.*, XII, 7.

feris manebant una cum iis pascentes; fures autem, cum nomen patris nostri Philippi invocatum erat, furari non poterant.

Audite, fratres mei, quale miraculum ante mortem suam ediderit. Fuit anus quaedam in regione Zēmā, patria eius. Ea audiverat, quae miracula precatione patris nostri Philippi fierent. Huic anui erat vacca nec praeter eam quidquam erat. Eam sub lecto suo alligabat. Haec vacca erat optima. Aliquando hanc vaccam fur adspexit: quam cum pascentem videret, secutus est, ut cognosceret, ubi versaretur. Et ex consuetudine sua haec anus prodiit, ut eam exciperet. Anu visa, homo improbus laetatus est cum cognovisset ei neque maritum neque filium esse, sed solam vivere, et noctu ianua aperta intravit, frenis ori vaccae impositis egit et ivit usque ad primam lucem. Sole orto, in desertum se abdidit, ne ab hominibus conspiceretur. Anus autem ex consuetudine cum surrexisset et adspexisset, vaccam non reperit in loco, ubi fuerat. Quae ingemuit, cum diceret: « Deus Philippi, patris mei, adiuva me. Nam scis neminem mihi adesse, nisi te, me autem illa et nutriri et vestiri. Pater Philippe! noli me refutare! Audivi enim miracula tua ». His dictis totum hunc diem in maerore contrivit. Sole orto, ille fur ex intimis deserti prodiit et in viam qua venerat egit vaccam, qua se domum redire putabat, mente captus. Cum vacca venisset ad domicilium suum, ubi staret, fur sibi domum suam venisse visus est et uxorem suam nominavit et dixit: « Aperi mihi ». Huius furis strepitum anus cum audisset, *contremuit et dixit: « Heri vaccam meam p. 218. abegisti, hodie me interficere venis ». Vacca dominae voce audita mugivit, et tum anus ianuam aperuit et vidit vaccam et virum hunc stantem. Et vacca stabulo recognito mugiens rediit. Tum mulier clamavit et Deum, cui sit gloria, laudavit adiuvantem precibus patris nostri Philippi martyris. Et venerunt vicini et dixerunt ei: « Quid tibi accidit? » Quibus dixit: « Adspicite miraculum, quod Deus precatione patris nostri Philippi edidit: heri mihi ademit, hodie mihi reddidit ». Et viderunt hi homines furem stantem ad ianuam anus, comprehenderunt eum et dixerunt: « Cur huius anus vaccam abegisti? » Is illis dixit: « Vidi hanc vaccam in prato pascentem, volui eam capere et diem in exspectatione degi, ut cognoscerem ubi habitaret. Eam cum anus haec excepisset et domum intro-

duxisset laetatus sum, cum cognovissem eam esse solam. Tum audivi eam dicentem: « Priusquam cubitum irem ad preces tuas, pater noster Philippe, confugio: sola enim sum. Et hanc vaccam a Deo mihi datam serva mihi precibus tuis a raptore et fure ». Quibus dictis obdormivit, ego autem vehementer laetatus sum, cum cognovissem neminem adesse, qui eam adiuvaret. Et in domicilium ingressus eduxi eam et abii, et perveni in mediam partem terrae meae. Ibi mansi desertum obambulans, cum diluxisset. Vespera surrexi, ut domum redirem. Vacca ante ivit et profecta est ea via, quae ei nota erat, ego autem secutus sum, nesciens quo irem. Cum huc venissem putavi me domum meam venisse et tum uxorem vocavi, audita autem voce huius mulieris contremui, sicut me conspexistis ». Ea narratione audita, homines mirati Deum glorificaverunt, qui hoc miraculum precatione patris nostri Philippi ediderat, et furi dixerunt: « Vade, et iam amplius noli peccare [1], ne a vero sis alienus ». Haec autem mulier vixit Deo gratias agens,
p. 219. qui precibus patris nostri Philippi eam adiuvit. *Eius auxilium nobiscum maneat in saecula saeculorum. Amen.

Caput XVI.

Audite etiam aliud miraculum quod commissum est ab hoc patre nostro Philippo, dum in carne erat. Fuit vidua quaedam, quae fructum capiebat ex gallina et eo victum emebat. Vultur quondam advolavit et gallinam abstulit. Et adiuravit haec vidua, cum diceret: « Precatione patris nostri Philippi, Christi martyris, redde mihi gallinam meam, quam mihi abstulisti ». Quibus dictis, diem degit confidens precibus eius. Et hic vultur non ausus est edere, sed volitavit ultro citroque, hanc gallinam portans. Cum advesperasset, hic vultur humum devolavit, quo gallinam abstulerat. Quo viso, vidua dixit: « Hic est is vultur, qui meam gallinam deprehendit: fortasse pater noster eum precibus suis vinxerit, ne ederet! » Et statim vultur constitit, missa gallina quam rapuerat. Et sumpsit hanc gallinam et invenit eam vivam neque quidquam perpessam, et omnia, quae acciderant, vicinis narravit, et Deum glorificavit, qui miraculum precatione patris nostri Philippi fecerat. Cuius intercessio sit nobiscum in saecula saeculorum. Amen!

[1] Iohan., viii, 11.

Eius rumor tum per omnes terras dilatus est, et quicumque in preces patris nostri Philippi credebat, accipiebat id, quod optaverat, sive erat vir sive mulier. Cum panes coquebantur, adiurabant ignem nomine eius, ne panes combureret, donec redirent, quolibet abiissent, et iis concedebat. Si omnia miracula, quae Deus manibus eius edidit per singula scriberemus [1], ad finem non perveniremus. Quod omisimus, ne auditoribus dementia et segnities videatur.

Redeamus nunc ad ea quae supra narravimus. Cum regis milites beatum Philippum cepissent et ad terram Qŭărqŭārā duxissent, e porta huius civitatis egressi, eum reliquerunt et ianitori dixerunt, ut rex iusserat. Ille iis dixit: « Bene ». Et regis legati redierunt. Et tum pater noster Philippus *descendit in terram p. 220. Zālān. Pagani autem omnes obvios ibi interficiebant. Beatum autem Deus servavit, et ibi per eos transiit. Et in terram Tegrē pervenit, cum ibi Tarād'ana Egzi'e praefectus (makuanen) esset. Et ratum est in eo dictum Evangelii: « Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum [2] ». Et ibi consedit, loco solitudinis sibi electo. Et sanabat beatus aegrotos et laborantes, virtute precum suarum, et Deus preces eius audiebat et eius causa ostenta et miracula edebat, idque non solum ei, sed etiam iis, qui nomen eius cum fide invocabant.

Et diebus illis fuit praefectus (makuanen) terrae Ta[m]bēn nomine Ta'amāni Ba'egzi'abḥer, et fuit ei filia formosissima, sed dextra manus et pes eius debilia erant a primo natali die, neque ea movere poterat. Multi praefecti (makuānenet) eam expetebant, cum pulchritudinem faciei eius, suavitatem gratiamque formae viderent, neque morbum eius scirent, sed vitio corporis *cognito* deserebant. Eam videntes, pater et mater multum flebant et dicebant: « Filia nostra, si sana esses regibus idonea esses ». Haec et similia loquebantur. Et tum patri huius virginis de Philippo, viro clarissimo, dictum est: « Audivimus monachum quendam regi insultasse et regem eum e *terra* Šawā in hanc regionem expulisse. Is *monachus* aegrotos sanat. Si eam sanari vis, mitte ad eum, et celeriter sanabit ». Quibus auditis, praefectus ille gavisus dixit: « Si eam sanaverit, fortunae meae partem dimidiam dabo ». Fuit

[1] Cf. Iohan., xxi, 25. — [2] Matth., v, 10.

autem hic praefectus ditissimus. Et statim surrexit et filiam et dona multa portavit. Et interrogavit, ubi pater noster Philippus esset. Ei dictum est: « In loco solitudinis habitat, quem ipse delegit ». Ad hunc *locum* cum praefectus venisset, ad patrem nostrum Philippum monachum misit, qui diceret: « Excipe me, pater, ut ad te intrem; tuus enim sum servus, qui e longinquo venit ». Et nuncii patri nostro honorato Philippo retulerunt, qui dixit: « Quomodo de me cognovit? Pauper enim et inops
p. 221. *sum advena? Si me quaerit, ad me eum introducite ». Eum cum praefectus vidisset, ad patris nostri Philippi pedes procubuit et ei dixit: « Nonne es advena e terra Šawā, Christi causa expulsus, nomine Philippus? » Is animo submisso dixit: « Nomine is sum; sed quid a me vis? » Et dixit hic vir: « Gratia tua afficiar! » Et dixit pater noster Philippus: « Quid dices? » Et dixit hic vir: « Audivi te sanare aegrotos omnesque laborantes, et precatione tua infirmos firmitate donare ». Et respondit pater noster Philippus: « Num ego peccator sano? » Et dixit praefectus: « Vos sancti, sive mortuos in vitam revocatis sive aegrotos sanatis; vos ipsos humiliare et vestros proximos efferre soletis. Sed ad preces tuas confugio. Adiuva fidem meam, ut Deus tibi potestatem dedit ». Et ei pater noster Philippus: « Adiuvet, inquit, te Deus ex fide tua; sed quid vis, ut tibi Deus servi sui manu faciat? » Et dixit hic praefectus: « Dedit mihi Deus filiam formosam, facie gratam, sed manus eius dextra et pes debilia sunt, neque ea a primo die natali movere potest. Et multi praefecti eam expetiverunt; et voluerunt ut uxorem haberent, sed propter corporis vitium deseruerunt. Nunc igitur ad te adduxi; adiuva me, pater, ut potes; in tuas enim preces credo. Et dona haec servo tuo a me traduntur ». Et donorum numerus, quae praebuit, farinam hordeaceam mulus unus portavit, nĕhiguā unus, farinam duo muli, mel tres muli, panem portaverunt quatuordecim asini. Haec omnia ei praebuit. Et hic pater noster Philippus accepit, quasi ea comessurus, et clam pauperibus distribuit et discipulum donum praefecti accipere iussit. Praefecto autem pater noster saniem vulnerum suorum in veste *sua* quaesivit [1] et dedit et dixit: « Accipe, et obline filiam tuam

[1] Locus obscurus.

dicens: ‘ Sanare in nomine Domini nostri Iesu Christi, Dei vivi Filii! Hoc pus, quo te oblino est cruor vulnerum fidei effusus ad testimonium martyrio Christi tribuendum ’ ». His dictis ei dedit. Et tum *exiit vir hic et cum ex animo et tota p. 222. cogitatione credens filiam suam oblinisset, ut pater noster Philippus praeceperat, manus et pedes eius statim firmata sunt et recte constitit, vitiis carens, et ille ei dixit: « Gradere, redi in pace ». Et virgo haec recte ivit, pede suo et manus ei talis facta est, qualis altera. Et praefectus Deum glorificavit propter filiam sanatam. Et cum venisset, salutavit eum et ad pedes patris nostri Philippi procubuit, dicens: « Ecce Deus oratione et precatione tua filiam meam sanavit ». Et dixit pater noster Philippus: « Non oratione et precatione mea sanata est, sed propter fidei tuae pulchritudinem ». Denuo dixit praefectus: « Pater, mitte mecum discipulum tuum, ut dona afferat, quae tibi mittam ». Et dixit pater noster Philippus: « Quorsum haec mihi? Hesterna mihi sufficiunt ». Cum vehementer instaret discipulum suum nomine Bakimos misit. Qua re praefectus est gavisus. Filiam suam cepit et cum discipulo hoc abiit. Cum in urbem suam venisset, servi ei obviam venerunt et filiam ambulantem cum vidissent matri eius narraverunt. Haec ei obviam venit, eam amplexa, osculata est; et magna fuit laetitia in domo praefecti. Et homines multi, cum filiam eius sanatam esse audissent, et epulas magnas pauperibus inopibusque comparaverunt; et discipulus hic in domicilium bonum est introductus. Prima luce, quinquaginta boves et farina et frumentum et mel ei dedit, ut antea, et cum pace eum remisit. Et servis suis imperavit, ut huic discipulo boves agerent, donec ad patris nostri Philippi domicilium veniret. Et cum discipulus hic ad urbem appropinquasset, in forum intravit et incidit in virum qui Evangelium vendebat; et vidit id esse bonum. Et dixit huic viro: « Dic mihi huius Evangelii pretium; quod tibi dare possim ». Et Evangelii possessor dixit: « Quinquaginta boves sunt eius pretium ». Et reputavit secum hic discipulus: « Quorsum nobis omnia haec bona, si Deus nobis dat victum et vestem, quae sufficiant; diximus enim: ‘ Totum mundum reliquimus ’ et ludibrio Deus nos haec omnia coacervantes habet cum ei dicamus: Pater noster, qui es in coelis, panem nostrum cotidianum da nobis hodie [1] ». Haec cum dixisset di-

[1] Luc., xi, 3.

scipulus huic viro: « Ecce tibi, inquit, dabo ». Et statim dedit
p. 223. ei quinquaginta boves. *Ipse autem sumpsit Evangelium et laetatus est dicens: « Rebus caducis mihi comparavi aeterna, iis quae putrescunt ea quae non putrescunt ». Et tum reliqua dona praeceptori suo praebuit. Is ei dixit: « Num nihil est aliud, quod ille tibi dedit, nisi haec? » Omnia enim spiritu suo sciebat. Discipulus dixit: « Dedit etiam quinquaginta boves, quos cum conspicerem mecum reputavi: ' Quorsum nobis haec omnia? Pauperes enim sumus '. Haec cum cogitarem, inveni in foro Evangelium et iis hoc Evangelium emi ». Et dixit ei pater noster Philippus: « Non decebat te, Bakimos, ita, sine praecepto meo facere. Cum tantum temporis mecum fuisses, cur sententias meas non cognovisti? [1] » Et tum ei dixit: « Affer mihi Evangelium quod emisti, et monstra mihi! » Et attulit discipulus hic Evangelium et monstravit id. Beatus Philippus dixit: « Evangelium bonum est, sed vide ». Et his dictis Evangelium evolvit et reperit locum quo dicitur: ' Esurivi et non dedistis mihi manducare [2] '. « Audi, Bakimos: non dicit Dominus noster: ' Evangelium non emistis ', sed dicit: ' Esurivi et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi potum ' et quae sequuntur. Sume, in litigando cum hoc Evangelio perseverans ». Quibus dictis tum adiecit: « Affer mihi bonum meum et redde huic discipulo [3] ». Tum Bakimos hoc Evangelio accepto in forum est profectus, dolens et dicens: « Contristavi praeceptorem meum ignorantia mea. Domine Iesu Christe, adiuva me hac hora ». Haec cum diceret, in forum est profectus et invenit virum, qui Evangelium quinquaginta bovibus emendum quaerebat. Huic Bakimos dixit: « Ecce Evangelium, quod mihi comparavi quinquaginta bovibus, ut dicis ». Et inter eos pactum est, et dedit vir ille Bakimos quinquaginta boves, et Bakimos reddidit ei Evangelium, et boves cepit et rediit ad praeceptorem suum, quod voluntatem eius fecerat laetus. Cernite hoc miraculum, dilecti, editum sanctorum causa. Nam primum discipulus de abstinentia cogitavit, praeceptor autem de pauperibus. Uterque caelestia
p. 224. in animo habuit, *non terrena. Praeceptor credidit Deum sibi boves redditurum esse, discipulus autem non dubitavit. Nam uterque ac quaesivit tamquam granum sinapis, fidem, quae

[1] Cf. Iohan., xiv, 9. — [2] Matth., xxv, 42. — [3] Locus obscurus.

montes movet [1] ficusque evellit [2]. Tum pater noster hos boves pauperibus et inopibus distribuit et discipulo suo dixit: « Scito, mi fili, nunc dictum esse Evangelium in caelo ore Spiritus sancti, rerum arcanorum gnari [3] ».

Ita pater noster Philippus tres annos hac in regione vixit, ubi erat expulsus. Et fama eius per omnes fines Tegrē ivit. Et post tres annos rex Amda-Syon mortuus est et regnum filius eius, Sayfa-Ar'ād, iniit. Tum rex Sayfa-Ar'ād cum patre nostro Iacobo metropolita pacto sanxit, *ne* patris vestigia sequeretur, sed una cum uxore esset. Id metropolitae placuit, qui ei benedixit omni benedictione spiritali et dixit: « Audi nunc quendam sermonem, quem tibi dicam ». Et dixit rex: « Dic, quaeso ». Et dixit metropolita: « Audi, quae tibi sim dicturus de patre nostro Philippo, quem pater tuus expulerat, cum adhortaretur ne patris uxorem in matrimonium duceret. Mitte nunc, qui eum reducant. Nam ille civitatis est praesidium ». Et dixit rex: « Sit ut dicis ». Et vehementer gavisus est hac re metropolita. Et tum abierunt missi a rege et eo venerunt, ubi pater noster Philippus versabatur, et ceperunt eum e sede eius et deduxerunt. Et lacrimaverunt oppidani omnes, nam erat, tamquam murus oppidi et aegrotorum eorum medicus. Et cum pater noster ad metropolitam adduceretur, metropolita consurrexit et amplexus eum est et osculatus, et diu ambo fleverunt. Et dixit metropolita: « Gloria sit Deo, qui te, Philippe, in carne versantem mihi ostendit, priusquam transmigraverim ». Et ambo plures dies consumpserunt, de Dei maiestate colloquentes. Metropolita narravit se cum rege pactum habere, ut una cum uxore viveret. Pater noster Philippus dixit: « Bene dixisti; sed mihi verbum eius impletum iri non videtur ». Tum metropolita beatum Philippum in terram eius dimisit, et rediit pater noster *laetus, Dei p. 225.
voluntate, in coenobium sepulchri patris nostri Takla-Hāymānot, qui est pater eius in gratia. Et gavisi sunt liberi eius eum cum vidissent, et visus est iis quasi vir qui a mortuis surrexerat.

Et multos post dies exstitit vir quidam Za-Amānu'ēl, nominis voce sed prorsus non re. Nam regem pellexit cum diceret: « Non licet tibi una cum uxore vivere, rex enim es, rex autem tres uxores habere iussus est ». Sed Dei nostri

[1] Matth., xvii, 20. — [2] Luc., xvii, 6. — [3] Mihi obscurum.

Emmanuel non hoc est iussum. Sermo enim eius veritas est [1], et rectae sunt omnes viae eius [2], et non est iniquitas in eo [3]. Hic autem Za-Amānu'ēl Dei nostri nominis gestator fuit appellatione, sed contemptor mandatorum eius, a Domino nostro datorum, ut servarentur, Apostolis suis, quos amicos suos fecerat et heredes, cum diceret: « Si diligitis me, mandata mea servate [4] ». Hic vir, nisi legum violator esset, regem non adduxisset, ut tres uxores eodem tempore duceret, cum diceret: « Regi est praeceptum ». Neque dixit: « Omnibus *est concessum* ». Itaque Deum partium studio duci fecit, nempe *regem* propter regnum eius timere, et pauperem propter paupertatem eius despicere. A qua re Deus noster est alienus! Ubinam Za-Amānu'ēl invenit dictum esse: « Praescriptum id est regibus, ut tres uxores habeant », postquam apparuit lex christiana? Num ex legis libro, aut Evangelio et Apostolorum epistolis et ex omnibus dictis Pauli, qui lingua myrrhina dicitur? Num e didascaliis et ex libro Synodi, ab ecclesia sancta acceptis? Hoc iusso quaesito, quod dixerat, in libris, qui egregia docent et verba iusta fantur, non reperimus, cur doctrinam eius non contemnamus. Qua de causa nominavimus eum Za-Amānu'ēl, i. e. portatorem nominis Dei et legum eius spretorem ». Nos secuti sumus dictum Iohannis Apostoli, dicentis: « Qui dicit se Deum amare et mandata eius non custodit, mendax est [5] ». Et multa testimonia huius rei ex Vetere et Novo Testamento proferre mittimus, ne sit longa narratio.

Redeamus ad ea, quae narrare coepimus, quomodo Za-Amā-
p. 226. nu'ēl *regem commonuerit. Rex, cum Za-Amānu'ēl dixisset: « Te tres uxores ducere oportet », respondit: « Quid agam? Nam pollicitus sum me cum una uxore victurum esse ». Et dixit hic homo nequam: « Noli dolere. Nam cum metropolita loquar, qui ad episcopatum non est idoneus. Itaque tibi recte egisse *videbor* ». Quod consilium malum regi placuit et dolo ad metropolitam misit, qui dicerent: « Veni. Tecum enim loquetur et concertabit vir, qui tibi dicat: ' Non es idoneus ad metropolitae dignitatem ' ». Qua re audita metropolita ingemuit et vehementer lacrimavit, et dixit: « Ecce ratum est vaticinium dile-

[1] Cf. Iohan., xvii. 17. — [2] Dan., iii, 27. — [3] *Ps.* xci (xcii), 15. — [4] Iohan., xiv, 15. — [5] Cf. I Iohan., ii, 4.

cti mei Philippi ». Et misit abbas Iacobus metropolita ad regem, qui diceret: « Opperire me, ad tempus matutinum diei quadragesimi, quoad ad te veniam ». Et misit ad patrem nostrum Philippum epistulam: « Celerius ad me veni, tecum liberis tuis sumptis illis XI antistitibus (mamherān) ut de fide consilium habeamus. Exstitit enim ex magorum numero vir quidam, qui regem pellexit, ut tres uxores duceret et feriis quarta et sexta ederet ». Tum pater noster Philippus undecim antistitibus convocatis, celeriter est profectus et ad metropolitam venit. Hi alter alterum osculati sunt osculo spiritali, et narravit metropolita patri nostro Philippo omnia, quae rex ei dixerat et quae ipse ei responderat, cum diceret: « Opperire me quoad diem constitutum ». Quae cum ex metropolitae ore pater noster Philippus et undecim antistites audissent, dixerunt: « Praeoccupemus precari Deum, qui nobis imperaverit: ‘ Orate, ut non intretis in tentationem [1] ’. Oratio enim est fundamentum et finis rei ». Inter eos pactum est, ut Deum precibus precarentur usque ad solis ortum diei quadragesimi. Quadraginta diebus expletis, rex in solio regni sui consedit regiis indutus vestimentis et iussit metropolitam cum ornato Philippo adduci. Fuit autem magnus conventus (cohortis) regis et metropolitae et provinciarum praesidum (seyumān) et sacerdotum et antistitum Ecclesiae. Tum surrexit legum spretor Za-Amānu'ēl et dixit: « Tu, abbas Iacobe, non idoneus es ad dignitatem metropolitae magnae terrae Aethiopiae ». Et ter ita dixit. Et diu tacuit abbas Iacobus, tandem surrexit et Spiritu sancto respondit *et regi dixit: « Elige unam e tribus rebus ». p. 227.
Ille dixit: « Quamnam ». Et sanctus ei dixit: « Non loquar cum hoc legum divinarum ruptore, qui os suum in caelo posuit et cuius lingua transivit in terra [2], et qui maluit homini obsequi, quam Deo, cum honores sibi quaereret. Placeant tibi, rex, ea quae dicem: ‘ Mane in pacto, quod est inter me et te de una uxore; si autem hoc pactum abnegabis, me gladio interimes, sin aliter, remitte me in terram meam ». His regi dictis, abbas Iacobus metropolita Za-Amānu'ēl exsecratus est et anathemate apostolico anathematizavit. Tum legis ruptor surrexit et dixit regi: « Loquere cum eo ego, tibi

[1] Matth., xxvi, 41. — [2] *Ps.* lxxii (lxxiii), 9.

consilium dabo ». Tum rex metropolitae dixit: « Cras tibi dicam, quid decreturus sim; hodie in cellam tuam abi ». Tum consurrexerunt metropolita et Philippus et omnes sacerdotes et in domicilia sua redierunt; regi autem vir iste, veri inimicus, persuasit ut metropolitam in terram eius remitteret et antistites cum eo convocatos de sedibus eorum expelleret. Id consilii regi placuit. Eadem nocte suasor regis maledictus morbo correptus est; totum enim corpus eius scabie est affectum et mortuus est exsecratione devotus sicut Arius, dicens: « Iacobus et Philippus me crucibus suis percusserunt ». Sole orto metropolita venit et regi dixit: « Quid de me constituisti? » Rex dixit: « Expulsus sis e terra mea et in tuam redi ». Metropolita dixit: « Bonum de me consilium iniisti, sed malim, me interficias, quam redire in regionem meam; sed sit Dei voluntas ». Tum sumptis ornato Philippo et omni synodo ecclesiastica et illis undecim antistitibus, in ecclesiam est profectus. Et dixit iis metropolita: « Magna persecutio in nos ab haereticis et defectoribus fiet; quid dicetis? Parebitisne voci meae et accipietisne consilium meum an non? » Et omnes una voce responderunt: « Quonam eamus a iussis tuis, pater? Etiam si expellendi aut interficiendi simus, faciemus, quaecumque nobis
p. 228. dixeris ». Et dixit iis *abbas Iacobus metropolita: « Ne consentiatis cum haereticis et apostatis, qui vobis dicent: 'Cibum sumite feriis quarta et sexta vigiliae nativitatis Domini causa ». Qua re dicta, septem lucernas accendi iussit et dixit: « Olim Philippum omnibus vobis praeposui, sicut Petrum, nunc autem expulsus sum, ut ratum sit dictum a Domino nostro: 'Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam, non consummabitis civitates Israel[1] '. Et me expulso, Philippus vobis sit pro me, et faciatis, quidquid vobis dicet, et si dictum meum et dictum Philippi dilecti mei transgrediemini, sic vobis Deus faciet ut *faciam* in hac exstinctione ». Quae cum diceret, lucernas exstinxit, numero septem. Et omnes dixerunt: « Amen ». Tum denuo accensae sunt lucernae et exstinctae septies. Et obtestatus eos est ne in factiones scinderentur, et ad tābot adduxit, ut iurarent denuo. Quo facto, metropolita consurrexit et collum Philippi est amplexus, et amplexi sunt alter alterum, et fle-

[1] Matth., x, 23.

verunt fletum acerbum diu, ut omnes spectantes multum fletum eorum mirarentur. Tum metropolita caput patris nostri Philippi osculatus est dicens: « Mi dilecte, abhinc in regno caelorum alter alterum videbimus. Et si tu me praeveneris, ora pro me, ut ad te veniam; si autem ego te praevenero, ego pro te orabo, ut ad me venias ». Quibus dictis, caput et oculos eius est osculatus. Et dixit ei pater noster Philippus, lacrimas profundens et vestem suam conspergens: « Pater metropolita, inquit, hic calamus lacrimarum cordi tuo inscribat, ut mei semper interdiu et noctu sis memor. Rogo te, mi pater, et tibi valedico. Tu enim mihi pater et praeceptor fuisti pro patre meo Takla-Hāymānot ». Et dixit: « Vae mihi! Ille enim a me morte est distractus, tu autem in vita a me distraheris. Abhinc enim apud me non reperiam eum, quem mittam de [1]... Vae mihi! Abhinc panem edam lacrimans duas enim inaestimabiles margaritas abscondidi: *unam in morte, alteram in p. 229. vita. Pater mi, ora pro me. Nam sementem fecisti in rupe, cui humus deest et plantam posuisti inter spinas et tribulos ». Haec et similia locutus pater meus Philippus lacrimavit et tum dixit abbas Iacobus: « Noli metuere, mi dilecte; si non in carne nobis invicem obviam veniemus, in regno caelorum inter nos congrediemur. Tu autem militiam inimicorum, precibus patris nostri Takla-Hāymānot et oratione sanctorum veterum, qui tecum usque ad ultimam vitae diem erunt, vinces ». His dictis, alter alteri pacem dederunt et osculati sunt alter alterum osculo spiritali, et tum in pace abbas Iacobus a patre nostro Philippo et undecim antistitibus est dimissus, ut in terram suam iret. Et Dei voluntate in terram Aegyptiam rediit, et, cum venisset, ianuam aperuit domus suae et intravit, et reperit post septem annos carbones candentes nondum exstinctos, quos absconderat, cum in terram Aethiopiam proficisceretur. Cuius oratio et virtus auxilii nos servet, cum eximus et redimus, in saecula saeculorum. Amen.

Caput XVII.

Postquam metropolitam prosecutus est pater noster Philippus ad regem rediit. Et dixit rex beato: « Fac oblationem mane fe-

[1] Aliquid desideratur.

riis quarta et sexta, si hos in dies cadet vigilia festus Nativitatis Christi ». Et dixit pater noster Philippus: « Quid est, cur ita agam? » Et dixit rex: « Quia dies est natalis Domini nostri ». Et dixit beatus: « Num duo sunt dies natales Domini nostri? Neque enim dicimus: ' Duobus diebus est natus ', sed uno die, qui omnibus fidelibus est notus, i. e. die undetricesimo, non duodetricesimo mensis tabsas. Et quotannis diem festum natalem Christi celebrantes, non dicimus: ' Quotannis est natus ' sed ita facimus, ne oblivione obruatur memoria diei quo Dominus noster Iesus Christus ex Domina nostra sancta Virgine Maria in carne natus est, ad Adam et semen eius servandum, quinque milibus et quingentis annis a mundo creato confectis, regente Caesare Augusto, Romanorum rege, cuius nominis interpretatio est « splendor », et diebus Herodis, qui Hierosolymis regnabat,
p. 230. *cum Idumaeus esset. Memoriam autem baptismi Domini nostri Ecclesia semel quoque quotannis celebrat, ne in posteriore aetate obliteretur. Ut aliis verbis dicam, baptismus Domini nostri est unus, is qui fuit anno quinto decimo regni Tiberii Caesaris et Herodis tertii, Galilaeae regis, et Caipha et Anna pontificibus, ut debitorum nostrorum chirographus tolleretur et vetusta creatio nostra renovaretur, nobis gignendis eo [1] et Spiritu sancto. Memoria crucifixionis et mortis et resurrectionis Domini facimus quotannis; at ille neque cruci affixus est aut mortuus est aut resurrexit quotannis, sed semel cruci affixus est et mortuus et resurrexit, neque deinde iterum est mortuus, ut dictum est: ' Mors illi ultra non dominabitur ' [2]. Sed dicimus vobis: ' Edocite eos, qui post nos venturi sunt, summam verae narrationis, quomodo natus et baptizatus et mortuus sit et resurrexerit '. Id autem, rex, dixisti: ' Celebra festum Nativitatis Christi, missa pridie diei natalis Christi mane facta ut laetaremur cibis pinguibus '; liber Apostolorum imperat ieiunium et abstinentiam, non carnem edendam et vinum bibendum, et oblationem faciendam hac die, ut diebus ieiunii sanctae quadragesimae, vesperis diei, qui Baptismum antecedit. Sic imperat liber, neque ego tuum iussum faciam, lege Scripturae neglecta ». Et dixit rex: « Semper regis verba contemnis. Cur liber dicit: ' Hodie est natus? ' Nisi mihi assenseris, ex

[1] I. e. baptismo. — [2] *Rom.*, VI, 9.

urbe mea expelleris; si autem assenseris, a me honoraberis ». Et dixit pater noster Philippus: « Rex, dum dicis: ' natus est ' edere vis, neque consideras, quid significet. Si dicti virtutem scire non vis, ede ieiunio quadragesimae feriis quarta et sexta, et tum ieiunium serva; ego autem tuos honores nolo, dicta tua non audiam. Ruptor enim es dicti iuratorii et ruptor pacti, tu qui dixeras: ' Non nisi unam uxorem ducam ', et multas duxisti. Mentitus igitur es Deo, non hominibus [1]. Qua de re vigilia Nativitatis Domini edere mihi displicet neque assentior. Potius fidei causa expellar. Fac de me, quod tibi placet ». *Et p. 231. iussit rex eum cum undecim antistitibus, liberis eius, in terram paganorum expelli. Ibi derelictus cum discipulis suis vixit, herba, sicut animalia, tres menses vescens. Quodam die Muhammedanus quidam arcum tetendit, ut patrem nostrum Philippum contingeret occideretque. Et monacha quaedam manibus protensis: « Desiste, inquit, a praeceptore meo ». Et rediit telum et manum eius percussit, et mortua est sancta. Et ratum est in ea id quod Redemptor noster dixerat, qui animam posuerat suam pro proximo suo [2]. Hunc autem Muhammedanum sanctus est exsecratus, et statim ille est dilapsus et mortuus.

Et post tres menses regi relatum est monachos et monachas esse interfectos [3]. Et iussit rex Philippum adduci. Qui repertus est, cum diabolos expelleret, et captus cum undecim antistitibus, liberis eius, ad regem est deductus. Ad regem cum venisset, ille dixit: « Numquid nunc parebis dictis a me de Nativitatis Domini vigilia? » Philippus dixit: « Nonne audisti id quod dicit Scriptura: ' Ne consentiatis paganis, qui dicunt: Manducemus et bibamus; cras enim moriemur [4]?, Et denuo id dicit: ' Vigilate, neque ieiunium rumpatis praetextu diei festi '. Et antea eadem de causa eram expulsus et tu pro fide me expuleras neque te a peccato tuo avertisti, neque ego a fide mea et pristino more meo me avertam. Quid vis, de me fac ». Tum rex beatum e castris suis educi et in insula, quae est in lacu Zoi, collocari iussit, donec ad ea se converteret, quae

[1] Cf. *Act. Apost.*, v, 4. — [2] Cf. de monacha Markēzā in *Acta s. Honorii* (f. 33; vide supra in hoc vol. p. 77) narrationem. — [3] Supra de hoc nihil est dictum. Aliquid omissum esse videtur. Cf. tamen quae in *Acta s. Honorii*, ff. 33-34 (vide supra pp. 77-78) narrantur. — [4] I *Corinth.*, xv, 32.

rex vellet. Si autem regis mandato non pareret, ibi morte mala moreretur.

Tum pater noster Philippus comprehensus est, et vinctus eo deductus est, ibique vinctus sex menses sedebat. Et Deus manu eius portenta et miracula ita edidit, ut quisquis nomen eius implorans et in orationem eius credens, ab omni morbo suo sanaretur. *Narremus quaedam* e miraculis et portentis patris nostri
p. 232. *Philippi, quae edebat, cum in Zevai esset. Ad initium huius lacus muhammedanus quidam habitabat, qui in Christum non credebat. Ei erat filius correptus a diabolo, qui eum valde dementem faciebat; et multi medici ei mederi non potuerunt. Quodam die diabolus ore huius pueri, exclamavit: « Nisi Philippus vinctus venerit, non exibo ». Qua re ex ore filii, quem diabolus correptum tenebat, audita, muhammedanus pater surrexit et quaerebat, ubi Philippus pater noster esset. Quem pedibus vinctum vinculis ferreis invenit. Et dixit muhammedanus: « Adiuva me, pater, veni mecum. Diabolus enim filium meum corripuit dementemque fecit ». Et dixit pater noster Philippus: « Non possum ire; vinctus enim sum ». Dixit muhammedanus: « Nisi mecum ibis, filius meus morietur ». Et dixit pater noster Philippus: « Etsi veniam, nisi in Christum credis, ille non sanabitur ». Et ille huic dixit: « Filio meo oratione tua sanato, omnia faciam, quae mihi dixeris ». Tum sanctus, aqua sumpta, pedes lavit et muhammedano dedit et dixit: « Vade, asperge filium tuum, dicens: 'In nomine Christi, Filii Dei vivi, ex Virgine sancta Maria nati, exeas diabole, ait tibi Philippus, sancti nominis eius causa vinctus'. Puero sanato ad me veni, ut cum filio tuo et uxore et omnibus hominibus domus tuae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizeris ». Muhammedanus cum in domicilium suum venisset, filium corpus suum lapidibus lacerantem invenit. Diabolus hic cum patrem aquam, quo sanctus se laverat, ferentem vidisset, ore pueri exclamavit et dixit: « Philippe, me olim ex magi filio expulisti. Et tum oppido illo tibi relicto huc perfugi, neque in fidelium domum intravi, sed in muhammedani domum intravi. Quid dicam? Noli me orationis tuae igne comburere. Ipse enim mox exibo ». Quibus verbis ex ore diaboli auditis, aspergit filium suum, cum diceret: « Aspergo te in nomine Iesu Christi, quem Philippus praedicat ». Tum diabolus veluti ignis ardens

e puero hoc exiit, *et deinde velut fumus evanuit, et tum paulo p. 233.
post expergefactus est *puer*, et cibum ei dederunt et statim convaluit. Et cum hoc muhammedanus omnibus cum hominibus domus suae se conversurus esset, proximus eius venit et dixit: « Cur propter parvam hanc causam fidem tuam relinques? » Qua de causa ad patrem nostrum non est profectus, neque in Christum credidit. Satanas, cum hunc muhammedanum in Christum non credidisse vidisset, septem diabolos nequiores priore cepit [1] et in filium, uxorem, omnesque homines domus eius intrarunt. Et flevit hic muhammedanus, loquens: « Si proficiscar, me non excipiet; neque enim iussum eius feci: ' Accipe baptismum in Christo ' ». Et coepit quaerere praetextus ut proponeret *ea*. Et dixit hic muhammedanus: « Proficiscar, eique dicam: ' Diabolus resistit, ne filium meum relinqueret, multo minus ut exiret ex eo, *ex* uxore, quae desipuit, *ex* omnibus hominibus domus meae ». Quo consilio capto, quod non verum erat, ad sanctum Philippum est profectus et narravit, ut supra diximus. Et tum cognovit per Spiritum sanctum, qui in eo erat, sanctus Philippus, et dixit huic muhammedano: « Cur mihi loqueris orationem fallacem et verba cum mentireris? An putas me de te nescire? Inest mihi Spiritus divinus, qui arcana novit et omnes animorum sententias aperit. Audi, fili perniciei, nonne dixerunt tibi propinqui tui: ' Cur propter parvam hanc causam patris tui legem relinquis? ' His auditis iam ad me non es profectus. Quamobrem Deus adduxit diabolos, qui in domo tua considerent; pro suis enim operibus cuique tribuitur ». Quibus verbis auditis, muhammedanus facie humum conversa, se coram patre nostro Philippo prostravit et ei dixit: « Ignosce mihi, pater; nesciebam te omnia scire, sicut Deum, qui arcana cordium humanorum novit. Sed fac mihi hodie gratiam; abhinc faciam quidquid mihi dixeris, *neque a iussis tuis de- p. 234.
cedam ». Et dixit pater noster Philippus huic muhammedano: « Cur me hominem tui similem, Dei similem facis? ego enim sum pulver et cinis, Christi causa in vincula coniectus, cum in nomen eius fidem praedicarem. Sed cave; antea es mentitus; noli in posterum peccare, ne deterius aliquid tibi accidat [2] ». His dictis, aqua sumpsit et manus pedesque suos vinctos lavit.

[1] Cf. Matth., xii, 45; Luc., xi, 26. — [2] Iohan., v, 14.

Et dixit ei: « Vade et asperge eum, ut prius ». Et abiit hic muhammedanus, laetus, et invenit uxorem et filium et homines domus suae se invicem mordentes canum modo. Et constitit ad ostium domus suae et primum exclamavit: « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, in quem Philippus credit atque etiam ego credo, exite domo mea spiritus impuri ». Haec cum diceret, omnes aspersit. Tum diaboli ex iis fugerunt, et domui quies est data. Tum muhammedanus, hominibus domus suae et omnibus liberis suis sumptis, ad patrem nostrum Philippum est profectus. Ad quem cum venissent, in Dominum nostrum crediderunt, et ille omnes baptizavit et iussit eos communicare corpori et sanguini Christi. Et cum communicassent altari, in pace domum redierunt et usque ad obitum suum in fide Christi vixerunt. Tum ille in insulam Zewāy est deductus.

Caput XVIII.

Et sex mensibus expletis ex quo est vinctus, rex misit ministros, qui patrem nostrum Philippum adducerent. Et cum adduxissent, dixit ei rex: « Ne nunc quidem mecum consentis? » Ille dixit: « Quomodo tecum assentiar in eo quod dixisti: ‘ Edite feriis quarta et sexta? ’ Quam tibi assentiar et ita faciam, potius moriar ». His auditis rex est iratus et de Philippo et omnibus orthodoxis, qui patri nostro assentiebantur, pronunciavit et eos distineri iussit, cum diceret: « Discedant milites mei ab iis hominibus, qui cum monacho hoc con-
p. 235. sentiunt, ut cum iis pugnemus, *qui mihi sunt adversarii et in monachi consilio permaneant ». Et tum descenderunt orthodoxi cortice arborum coronati et dicentes: « Nos sumus Dei populus », cum regis milites descendissent coronati mĕrwāya et dicentes: « Nos sumus regis milites ». Et fuit numerus hominum Dei mille myriades, regis autem militum trecentae myriades. Et iussit rex equum adduci, ut in pugnam proficisceretur. Tum regina surrexit et ad tentorium eius fugit et vestibus discissis ei comprehenso dixit: « Verumne est te dixisse: ‘ cum Dei hominibus pugnabo? ’ Quod non est bonum ». Haec cum illa dixisset, *consilium suum* obiecit. « Quid, inquit, de hoc monacho agam? Eum si reliquero, omnem populum pelliciet et sibi devinciet, sed expulsus sit neve in castris

meis aut in suo coenobio sedeat ». Tum eum mitti iussit in oppidum terrae Dāmot, quod Gamaski dicitur, oppidum paganorum. « Eo, inquit, illum deducite, et ibi interficite, et nos ab eo requiescemus ». Et missus est Philippus, cum rex iussisset, in hoc oppidum, cuius nomen supra diximus. Et vixit ibi unum annum, verbum fidei praedicans. Et quodam die, cum beatus Philippus fastigio collis Damasco *iret*, obvius ei factus est praedo ex numero paganorum, facie nigra, hasta et clipeo ornatus, qui veniebat, impetu accurrens, et ad sanctum Philippum appropinquavit. Et tum sanctus eum crucis signo obsignavit, dicens: « Deus te refutet et in partes duas discerpat ». Quo momento hic niger desiluit et hastam in sanctum mittere voluit. Dum mittit duas in partes est divisus, hastam dextra, clipeum sinistra tenens. Dimidia enim corporis pars pependit, altera pars cum pedibus in terra mansit. Tum hic abominatus exclamavit: « Cogitavi petere mortem huius sancti Dei et nunc haec omnia mihi acciderunt ». His dictis cecidit et est mortuus. Et perterriti sunt omnes fideles, qui hoc viderant et audierant. Et glorificaverunt Deum, qui miracula et signa edit manu servi sui sancti patris nostri Philippi.

Caput XIX.

*Unum post annum, ex terra Aegyptia venit metropolita nomine abbas Salāmā. Et cum venisset omnes primores Ecclesiae convocavit et regi dixit: « Ubi est episcopus archipresbyter (liqa-kāhnāt), primus martyr, cuius est virtus [1] Spiritus sanctus ore abbatis Iacobi metropolitae dicens: ‘Reperies virum, virum Dei, Philippum dictum, columen et fundamentum sanctae Ecclesiae, cuius causa et imber in terram cadet et arbores deserti fructus ferent, et dabitur emolumentum lac, mel, panis generi humano et herba pecori. Is si a terra Aethiopica aberit, tota peribit civitas; sed cuius precatione quae est grata, sicut incensum coram Deo, a tentatione servatur. Quidquid dixerit, fac; neque rex, voci eius obsta. Spiritus enim sanctus sicut Petrum, Apostolorum caput, hunc summum caput praefecit’. Et patriarcha mihi est locutus: ‘Beatus es, quod sancto p. 236.

[1] Textus corruptus esse videtur. Expectes: quem Spiritus sanctus elegit.

Dei Philippo obviam ibis. Semper enim omnibus horis vidi in eum descendere Spiritum sanctum et angelos ponere in eius caput tres coronas. Beatus est is, cui contigit, ut manus et pedes eius oscularetur '. Ubi est hoc praesidium urbis et murus fidei et sanator aegrotorum? Ubi est firmator infirmorum et consolator maestorum? Ubi est orborum pater, et qui finem facit dolorum viduarum, et iudex iustus verusque oppressorum? » Quae et similia cum metropolita regi dixisset, hic contremuit et miratus est. Tum rex metropolitae dixit: « Cum hic Philippus mihi esset oblocutus, et iussis meis obstetisset, eum de solio eius expuli et alio in oppido, qui in mea dicione est, habitare iussi ». Et dixit metropolita: « Ordinationes facere non possum, nisi Philippus veniet ». Tum rex famulos misit, qui eum reducerent.
p. 237. Nuncii eum Damāsqi in oppido *populum docentem repererunt. Et regis servi sanctum Philippum sumpserunt et in castra eius adduxerunt. Rex ad metropolitam *nuncios* misit, *qui dicerent*, ut ad se veniret. Et venit metropolita et Ecclesiae primores et patri nostro Philippo obviam venit et osculatus est eum osculo spiritali. Et magnum conventum fecerunt. Et dixit metropolita patri nostro Philippo omnibusque primoribus: « Omnia, quae abbas Iacobus vinxerat, mihi solvit. Nunc regi consentite in lege fidei orthodoxae ». Et consurrexit beatus Philippus et dixit metropolitae: « Si est orthodoxus, consentimus; si autem est ruptor fidei, ob metum regis non consentiemus. Anathema autem abbatis Iacobi non ab eo solo imposita est, sed ante metropolitam Iacobum Apostoli eam imposuerunt, cum dicerent: ' Quisquis ieiunium quadragesimae rupserit et feriarum quartae et sextae, si metropolita aut patriarcha erit, de gradu suo detrudatur; si autem episcopus aut sacerdos, aut diaconus, aut rex, dignitate sua privetur, si autem laicus, expellatur '. Rex autem nobis dicit: ' Rumpite ferias quartam et sextam propter vigiliam Nativitatis Christi ». Et dixit metropolita: « Hoc ne ego quidem dicam: ' Edite ', interdictum enim est religione ». Et dixit rex Philippo: « Quoniam tu es auctor rei et regis adversarius, si ille mensam repudiaverit, tu missam dic ut omnes homines te videant et tibi assentiantur ». Et dixit pater noster Philippus: « Hoc mihi regis metus erit. Nonne audisti Dominum nostrum dixisse: ' Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et eum coram Patre

meo, qui in caelis est [1]; qui autem me confusus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria sua et in gloria Patris sui! [2] ' Quid maius est, sacrificiumne iustitiae an mensa corruptibilis? » Et dixit rex patri nostro Philippo: « Fac sacrificium mane, mensam autem pone ea hora, qua diebus ieiunii esse solet ». Et dixit pater noster Philippus: « Quid, rex, iubes? Sacrificium mihi est faciendum diei natalis Christi causa, mensam autem, ut a cibo abstineam? Hoc dictum est ineptiae dictum ». *Quae cum pater noster Philippus dixisset, p. 238. consurrexerunt sacerdotes tentorii (kāhnāta za-dabtarā) et metropolitae dixerunt: « Nonne scis, pater noster, ex computu Hebraeorum et Graecorum dies natalis Iesu Christi fuit die duodetricesimo mensis tāḫsās, ex ratione autem Aegyptiorum et Aethiopum die undetricesimo mensis tāḫsās? ». Qua de causa dicimus: « Celebremus festum die vigiliae ». Et dixit pater noster Philippus: « Id, quod dixistis, *facientes* Hebraei et Romani celebrant die duodetricesimo, non undetricesimo postquam, *secundum eorum computationem* Nativitas Christi praeteriit, tamen si ita faciunt celebrant non duos dies, sed unum, ut dicitis. Nos et Aegyptii ex nostro computu celebramus, sicut testamini nobis, die undetricesimo, neque celebramus die duodetricesimo mensis tāḫsās, cum dies natalis Christi nondum venerit; ii autem, quos dixistis, unum diem celebrant, nos quoque unum diem celebramus. Cur igitur dicitis: ' Celebremus duos dies? ' Neque enim Dominus noster duobus diebus est natus, sed uno. An dicere audetis: ' Nascebatur duobus diebus? ' Quo ne adducat vos Dominus! ». Quae cum pater noster dixisset, rex iratus sancto dixit: « Adversarie, si consentis, consenti; sin aliter, expulsus sis; tu enim exsulare soles ne alios illicias ».

Tum surrexit ornatus Philippus et ex regis castris abiit in terram Kosogē, i. e. in terram Ṣelālš, cum duabus filiabus suis spiritalibus, nomine monachatus Makĕbyu et Orni; haec enim regio fuit patria harum sanctarum, sponsarum unius virginalis sponsi, Christi puri. Harum filiarum spiritalium causa, pater noster Philippus paucos dies ibi habitavit cum abiret

[1] Matth., x, 32. — [2] Marc., viii, 38.

in oppidum, ubi Dei voluntate cursum suum esset finiturus. Et cum pater noster ex hac terra transmigrare et eo ire, quo Deus iusserat, vellet, Makébyu et Orni filiabus suis vocatis, valefecit dicens: « Abeo ut Dei mei voluntatem faciam; vos autem manete, et hic martyres eritis et cursum vestrum conficietis, idque non vos solum, sed etiam multi alii. Et
p. 230. amore *divino commoti vobiscum sanguinem suum profundent donec fluat, ut torrentes hiberni ». Quae locutus est sanctis mulieribus Makébyu et Orni, praesciens omnia per Spiritum sanctum, qui ei inerat. Quibus dictis, pater noster Philippus iter iniit et comitatae eum sunt Makébyu et Orni lacrimas profundentes. His dictis, pater noster Philippus iter iniit. Rex autem cum audisset sanctum habitasse in terra Kosogé, verbum fidei docentem, furore agitatus, milites suos misit, qui omnes incolas Kosogé, viros et mulieres, senes et infantes interficerent. Milites cum venissent, omnibus Kosogé incolis convocatis, regis iussum dixerunt. Qua re audita, sanctae mulieres Makébyu et Orni altera alteram praeventura martyres fieri studebant et ad Christum ire, quem adamaverant et a quo ipsae adamatae erant. Et constiterunt ante milites, qui necem nomine regis nuntiaverant. Et dixerunt: « In Christum credimus, fide recta beati Philippi, quam constituerunt patres nostri Apostoli et Paulus, vas electum, qui statuit potestatem anathematizandi aetati futurae, ne alia acciperetur doctrina, nisi eorum doctrina, quae Spiritui sancto placet; sive homo sive etiam angelus doceret [1] *illam*, praecepit et exsecratus est ne acciperetur. Fides autem regis non accipienda est, quia inclinat ad indulgentiam ventris delicto ieiunio feriarum quartae et sextae et neglecta obtestatione Apostolorum omniumque Ecclesiae praeceptorum, ne ederetur his diebus, feriis quarta et sexta praetextu dierum festarum, nisi die natali Christi praeclaro undetricesimo mensis tāḫsās et die festo baptismi Christi undecimo mensis ter et diebus Pentecostes [2], quod sit additamentum Paschae, resurrectionis Domini nostri. Reliquis diebus, qui rumpet ieiunium dierum festorum causa, anathematizetur. Et si necesse est nos de fide cum rege consentire, qui anathema in se convertit, melius est nos mori ». Haec cum dixissent mulieres sanctae

[1] Cf. *Gal.*, 1, 8. — [2] I. e. dies quinquangīnta qui proxime sequuntur festum paschale.

Makĕbyu et Orni, fidem suam confitentes, regis milites irati consurrexerunt et gladiis cervices praeciderunt his fortibus et firmis, ut viris, in *infirmitate sua. Et homines illius regionis p. 240. videntes illas paratas fuisse gladiis interfici, dixerunt: « Ne nos quidem eas deseremus in vita aut in morte. Coniunctae enim nobiscum sunt fide, quam nos docuit pater noster Philippus, cum diceret: ‘Ne hanc fidem rectam, etiam ad mortem ducamini relinquatis ». Tum iis milites capita amputaverunt gladiis, nullis viris aut mulieribus aut senibus aut infantibus relictis. Et numerus hominum, quos milites interfecerunt a die tertio mensis tekemt, quo die beatae Makĕbyu et Orni duces itineris vitae, sunt mortuae, usque ad vicesimum tertium mensis magābit fuit nonaginta myriadum et septingentorum et septuaginta septem. Quo in numero fuerunt non solum terrae Kosogē incolae, sed etiam una venerunt ad coronas martyrii accipiendas ex Bāli, et Dawāro, et Fatagār, et Wad, et Dāmot, et Šawā, et Amharā, et Wifāt, et Gedem, et Angot, et Tegrē et ex aliis regionibus; eos conduxit virtus divina, ut ratum esset id, quod a patre nostro Philippo praedictum erat, cum nunciaret beatis Makĕbyu et Orni, ab iis discedens. Quo facto, milites interimere destiterunt iussu regis. Haec omnia acciderunt patris nostri Philippi, capitis huius martyrum ordinis, causa. Antea, cum patrem nostrum Philippum Amda-Ṣyon rex expulerat, cum viderentur multae virtutes, manu eius excitatae, et cruor vulnerum eius ignis factus, ut regis tentorium combureretur, multi homines passionem suam gladio et hasta finierant in oppido, quod Savan dicitur.

Hic recitabimus quaedam ex narratione de beata Makĕbyu et sancta Orni. Priusquam cum patre nostro Philippo exsilium subierint, ostenta edebant in Dawāro terra, quae Dārā dicitur. Ibi homines, a quibus offensae erant, interfecerunt et tum ad vitam revocaverunt precibus suis, ut ita homines cognoscerent potentiam virtutis earum. Atque etiam postquam ex exsilio redierunt, in Kosogē ex rupe dura aqua effluxit, ut esset remedium aegrotis, et etiam nunc exstat, virtutem suam praebens, *eis* qui ea asperguntur et *bibunt eam cum fide. Precatione harum p. 241. mulierum sanctarum Makĕbyu et Orni, et oratione martyrum egregiorum, primorum et ultimorum, qui nominis eius causa vitae mortem praetulerunt, Deus nos liberet a vexationibus Satanae in saecula saeculorum. Amen.

Caput XX.

Redeamus ad certamen patris egregii et beati Philippi enarrandum. A rege expulsus pater noster Philippus, abiit in locum, qui Parabi dicitur, ibique non multos dies manere voluit. Et dixerunt abbati liberi eius: « Si hic manebis, metuimus regem, ne nos tua causa interficiat. Nam audivimus, quae iam fecerit ». Et dixit iis beatus Philippus: « Si timetis, a vobis discedam ». Et tum consurrexit, et iis qui cum eo erant dixit: « Eamus in Šawa! [1] Sive excipiemur, sive non excipiemur, patrem meum Takla-Hāymānot adorabo et sepulcrum eius osculabor; nam *adest* finis meus ». Quibus dictis est profectus et venit in Dabra-Libanos. Ubi ei eadem atque antea, sunt dicta. Dixit iis beatus Philippus: « Ne moesti sitis, abibo enim, neque superveniet destructio sepulcro patris mei. Sed me patiamini hoc tempore pluvio usque ad diem sancti Iohannis, tum abibo ». Et dixerunt ei: « Ne sit ita, pater; vehementer enim timemus, ne rex hodie aut cras mittat ». Quibus auditis, pater noster Philippus statim surrexit ad sepulcrum patris nostri Takla Hāymānot capuloque eius pulsato: « Pater, inquit, iam absolvi cursum meum et munere meo perfunctus sum, et venit tempus quietis meae. Nunc abs te discedo, ne dividatur corpus meum tecum [2], sed veniat in me benedictio tua neque me a gratia tua removeas ». Quibus dictis, capulum patris nostri Takla-Hāymānot osculatus exiit. Et dixit liberis suis, qui in coenobio manserunt: « Abhinc carnem meam non videbitis ». Ita locutus profectus est et pervenit in Abā-Gendenā ibique
p. 242. consedit. *Ibi neque exceptus est neque quidquam ei datum est, cum ipsi ederent et biberent (*quasi?*) nuptias celebrantes. Mane pater noster Philippus ad ianuam exiit et foris stans, manibus porrectis, exclamavit: « Adspice, Domine, hanc iniuriam, qua sum affectus: dimidiam partem aquae aut panis ex his omnibus mihi non dederunt, cum ipsi se oblectantes ederent et biberent. Sed non de cibo dividendo tibi dico, Domine ». Quibus dictis, sorores suas monachas vocavit, quae iniuriae participes non fuerant: « Ite celerius, ait; neque sitis hic ad octa-

[1] Per mendum Wāša scriptum est. — [2] Mihi obscurum.

vum diem; si autem eritis, cavete ». His dictis sanctus iter suum *prosecutus est*. Nono die postquam abierat, in hunc locum pestilentia incidit et quinquaginta tres monachos absumpsit atque etiam mulieres liberosque.

Beatus autem pater noster Philippus consedit in terra Walaqā, ubi aedificaverat monasterium in priore exsilio suo. Tum rex patrem nostrum quaerere coepit et dixit: « Quonam hic monachus abiit? » Dixerunt ei: « In terra Walaqā versatur ». Et dixit rex: « Ite, adducite eum ad me ». Et statim est adductus. Et dixit ei rex: « Ubi habitas? » Sanctus dixit: « Nonne audisti David dixisse: ' Domini est terra et plenitudo eius [1] ». Et dixit ei rex: « Terram quidem Deus mihi, non tibi dedit ». Et dixit ei sanctus pater noster Philippus: « Non tibi soli sed et nobis omnibus, ut dixit David: ' Terram autem dedit filiis hominum [2] ». Tum dixit ei rex: « Cur semper pro nihilo habes iussa mea? Omnes enim principes Ecclesiae mecum consentiunt; tu *solus* manes, qui iussa mea non accipiat ». Et dixit ei sanctus: « Si metuens te legem rumpam, pristinum certamen meum vanum erit. Nemo mittens manum suam in aratrum, retro vertatur [3]. Bonum est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet [4] ». Ita locutus, a regis facie discessit. Tum rex misit multam et pretiosam suppellectilem. Et attulerunt *ad sanctum regis servi et dixerunt ei: « Accipe! dicit tibi rex ». Quod rex fecit ut eum illiceret. Cogitabat enim eum hac re vincere. Sanctus autem dixit missis a rege: « Dicite ei: Quorsum mihi bona tua, si Deus me nutrit et vestit? » Et redierunt legati et retulerunt regi. Tum iterum ad illum misit dicens: « Cur recusas accipere bona regis; nonne scis, omnia, quae edis quibusque indueris, esse regis? » Quibus auditis, pater noster Philippus dixit legatis: « Dicite regi: Nonne audisti Deum dixisse liberis Israel: ' aurum vestrum est spurium et argentum vestrum hostis comedet [5]. Aut, inquit, si mihi honorem obtuleritis arietibus et tauris, Spiritui meo displicebit, nisi observabitis ea, quae vobis dixi '. Dicis: ' Ego sum rex ', et non servas iussa eius; rex enim est solus Deus in caelo et in terra ». Et redierunt legati

p. 243.

[1] *Ps.* XXIII (XXIV), 1. — [2] *Ps.* CXIII, 24 (CXV, 16). — [3] LUC. IX, 62. — [4] I *Cor.*, IX, 15. — [5] Textus corruptus est. Cf. EZECH, VII, 19: « hostis » (ḍ a r) pro ḍ a f ' « stercus » per mendum scriptum esse videtur.

et regi retulerunt quae pater noster dixerit. Et dixit rex legatis: « Redite et reportate ad eum has res, et relinquite ad pedes eius ». Redierunt illi et ter ita fecerunt, sanctus autem surrexit et has res dereliquit, aliam in partem discedens. Nunciaverunt illi regi eum recusare res accipere et abire velle. Et dixit iis rex: « Ite et dicite huic monacho: Lepus cum terra certabat, et dixit: Ego abibo ubi non es. Et dixit ei terra: 'Abi, quaeso, si potes eo abire, ubi non sum'. Et lepus ille currere coepit, cogitans eo venire, ubi terra non sit. Et cum accurrerat aut adierat aliquid, terra loquebatur: Hic sum et hic sum. Et currere perseverans est mortuus, cordis morbo correptus. Potesne tu quoque pervenire ad terram, quam non obtineam? Et si invenies terram, quae non in mea sit dicione, abi, at ego eventum rei adspiciam ». Quae regis verba patri nostro sunt relata, et sanctus legatis dixit: « Dicite regi: Cur te effers furibundus et os tuum in caelum ponis[1]? Nonne
p. 244. audisti Dominum *nostrum dixisse: 'Qui se exaltat, humiliabitur, qui se humiliat, exaltabitur[2]'. His verbis tuis te adversarium Dei praebuisti, de quo dixit David: 'Tui sunt caeli, et tua est terra; orbem terrae et plenitudinem eius tu fundasti[3]'; denuo *idem* dixit: 'Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud et siccam manus eius formaverunt[4]'. Ego quoque scio terram Dei, non tui esse. Sed exsilium subibo, ut sim similis patrum meorum ratumque sit dictum Evangelii: 'Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum[5]' ». Rex audito dicto patris nostri Philippi conticuit, cum non invenisset, quid responderet. Sanctus autem surrexit et dixit: « Eamus, ut sepeliar manu abbatis Salāmā praeceptoris mei ». Dixit discipulis suis. Tum surrexit et abiit in desertum versus, terram Amḥarā, et venit in monasterium quoddam, et octo dies ibi requievit. Et abbas illius coenobii ad eum venit et dixit: « Pater honorate, metuo. Episcopus enim es, de quo mundus totus audivit. Nolim te hic habitare. Nihil enim sum ad te ». Et dixit sanctus Philippus: « Noli dolere: cras enim abibo ». Et statim surrexit et abiit, donec in terram Gērgēsā veniret, ubi abbas Salāmā

[1] *Ps.* LXXII (LXIII), 9. — [2] LUC., XVIII, 14. — [3] *Ps.* LXXXVIII (LXXXIX), 11. — [4] *Ps.* XCIV (XCV), 5. — [5] MATTH., V, 10.

metropolita erat. Metropolitae dixerunt venisse Philippum, Christi martyrem. Metropolita laetatus est et dixit: « Ad me eum deducite! » Cum eum vidisset, surrexit et collum eius est amplexus, et alter alterum osculo spiritali est osculatus. Tum patri nostro dixit: « Mundum repudiasti et Christum secutus es cum amore et fide, ut sis regni caelorum heres ». Et dixit Mār Philippus: « Quid sum? Beati sunt, qui certamina sua finierunt et martyrii coronam in regno caelorum acceperunt ». Et dixit abbas Salāmā: « Verum tibi dico: tu non minor iis es in regno caelorum ». Et tum sedebant de rebus divinis colloquentes.

*Paucos post dies accidit transmigratio honorati patris nostri p. 245. et victoris Philippi, qui martyr fuerat Amda-Syon et filio eius Sayfa-Arʿād, regibus Aethiopiae, regnantibus, qui verberationes et vincula et exactiones ex altero oppido in alterum multis cum verbis contumeliae subierat, qui famem et sitim et nuditatem perpessus erat. Et tum vox de caelo exclamavit: « Veni, dilecte mi Philippe, nam cursum tuum confecisti et certamen tuum absolvisti: multos labores et vexationes mea causa subiisti, cum sicut fur aut latro conviciareris, verbereris, vincireris, expellereris. Beatus es. Verum tibi dico, mi dilecte et beate Philippe, omnes labores tuos et mala, exactiones et patientiam tuam calamo aureo inscripta esse columnae lucis in Hierosolymis caelestibus. Qua de causa ego, Iesus, verbum dico non falsum: quisquis in precationem tuam credet et memoriam tuam faciet incenso et oblatione et missa, quisquis sitientibus dabit calicem aquae frigidae [1] bibere die memoriae tuae in nomine tuo, ego eum bono praemio remunerabor in mundo novo, et quisquis scribet et scribi iusserit librum certaminis tui, id est passiones tuas quas propter me toleravisti, nomen eius inscribam columnae lucis in caelestibus Hierosolymis, cum sanctis omnibus et martyribus in saecula saeculorum. Amen. Ecce ego tibi dono septem coronas: unam propter virginitatem tuam, unam propter martyrium, unam propter populum a peccato ad religionem meam conversum evangelium meum docendo; unam propter exactiones tuas ex altero oppido in alterum in afflictionibus et doloribus, unam

[1] Matth., x, 42.

propterea quod coronam honoris saecularis repudiasti, unam propter magnum interfectum, cum adolescens esses neque timeres pro nomine meo mori, unam propter sacerdotium tuum castum et monachatum perfectum, sicut Antonii et Macarii. Ubi autem corpus tuum sepultum erit, gratiam meam et misericordiam meam praestabo, neque eo descendet frigus neque nix, neque locustae, neque bruchi.

Caput XXI.

p. 246. *Dominus noster Iesus Christus postquam haec promisit, cum gloria in caelum adscendit. Quibus auditis sanctus est laetatus; sibi visus est non laborasse. Gratiam Deo retulit. His factis sanctus, sicut omnes homines, morbo est affectus. Metropolita cum sanctum aegrotare audisset non est ad eum profectus, quod ex Gèrgèsā in Ḫaqalit *ire* volebat. Ad eum sanctus misit, ut ad se veniret. Cum metropolita ad eum venisset, sanctus ei dixit: « Cur me deseris et profecturus es me non sepulto? Et si hinc abire properas, sume me tecum, ut in Ḫaqalit me sepelias ». Quibus ex ore sancti auditis, metropolita lacrimavit et dixit: « Tu ne moreris, archipresbyter (et) episcopus et monachorum pater? Moreris, Philippe, murus fidei, columen et fundamentum Ecclesiae? Tu ne moreris, Philippe, caput episcoporum? Tu ne morte conficeris, Philippe, lingua facunde? Utinam pro te moriar, et nisi hodie, cras da mihi te sequi! » His atque similibus dictis metropolita flevit dilectum suum Philippum, tum sumptum eum ad lectum suum tulit, et ex Gergèsā in Dabrā-Ḫaqālit misit.

Et tum in pace requievit pater noster Philippus, pacis praeceptor mensem nonum supra annum septuagesimum quartum agens. Quindecim annos in patris domi vixit, tum in Dabra-Libānos abiit, et cum ibi venisset tres annos ante monachatum vixit, a tonsura monachali usque ad coenobii magisterium viginti duos annos vixit, ab inauguratione magisterii usque ad exsilium duodetriginta annos, post exsilium in Tegrē vixit tres annos, duos annos in Walaqā, in Dārā, i. e. Dawāro menses tres, in Zewāy insula menses sex, annum in Dāmot. Exsilii eius fuerunt universim sex anni et novem menses.

p. 247. *Tum requievit die duodetricesimo mensis ḫamlē. Et descenderunt ad eum excipiendum angeli vigilantes, et prophetae

sancti, et Apostoli puri, et martyres victores, et iusti perfecti, et monachi electi, cum coronis et candelis innumerabilibus, et animam eius in caelum extulerunt dicentes: « Gloria in excelsis Deo [1] qui homines gratos habet. Qui in mundo laboravit, vivet in finem [2] ».

Cum pater noster Philippus obiisset, nuncii abierunt, qui metropolitae abbati Salāmā dicerent de abitu patris nostri; hora enim illa, alia in domo fuit. Ibi cum metropolita esset inter se liberi eius sunt locuti: « Non oportet neque decet nos eum sepelire ». Metropolita autem spiritu sciens obitum sancti in itinere obviam fit missis, qui ad eum nunciatum ibant. Et priusquam loqui coeperint, iis dixit: « Scio, scio victorem Philippum requievisse ». Et cum venisset, metropolita in eum cecidit et profudit lacrimas amaras, tum eum sepelivit, ut episcopi sepeliri solent. Et cum homines ei dicerent: « Mitte, noli cadaver tangere; metropolita enim es ». Dixit: « Quis ego sum metropolita? Metropolita est Philippus, quem Spiritus sanctus constituit, ut Ecclesiam regeret, quam Christus sanguine suo Patris voluntate acquisivit [3] ». Et sepelivit eum cum cantu et psalmodia et honore magno. Et abbas Salāmā haec omnia videns, audivit synodum angelorum, et prophetarum, et apostolorum, et iustorum, et martyrum, et virginum, et monacharum animae eius obviam euntem, omnium enim eorum cuiusvis generis operibus similis fuit. Nam angelorum similis fuit, cum castitatem esset assecutus, et prophetarum cum arcana sciret, et apostolorum cum fidem praedicasset, et martyrum, cum passiones subisset. Similis fuit iustorum, cum egregia fecisset, similis est factus virginum quoque, cum cupiditates vicisset. Qua de causa desiderabant eum et ei obviam ire properabant dicentes: « Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius [4] ».

Ecce scripsimus vobis, fratres dilecti, breviter, ne pigri sitis ad audiendum. Sed Deus *inceptor et perfector, protector et adiutor vobiscum omnibus sit in saecula saeculorum. Amen. p. 248.

Pater, benedic et consecra et firma portam et fundamentum coenobii, matris tuae Dabra-Libānos! Reduc dispersos liberos

[1] Luc., II, 14. — [2] *Ps.* XLVIII (XLIX), 8-9. — [3] *Act.*, XX, 28. — [4] *Ps.* CXV, 6 (CXVI, 15).

tuos, curam habe instaurationis eorum quae in ea destructa sunt, nutri orphanos eius, serva iuventutem eius et renova senectutem eius, et benedic sacerdotio eius, maxime autem patri nostro Ioanni Kamā, qui de certamine tuo describendo amore erga te ductus multis diebus post oblivionem, sollicitus fuit.

Cuius nomen Dominus inscribat calamo aureo,
et accumbere faciat eum in convivio novo.
Et filium eius 'Adqa-Ruphā'el a tentatione et tempestatibus et
et introducat post murum caelestem, [agitationibus liberet
ubi iustus cum liberis suis electis a molestiis servatur, introducat
hic Deus, mundi ornamentum, laetitia infinita.

Qui conscripsit, qui conscribi iussit *hunc librum*, qui legit, interpretatur et audit omnia verba eius, Deus ei misereatur in regno caelorum in saecula saeculorum. Amen.

V.

MALK'A FILPOS

SEU

EFFIGIES SANCTI PHILIPPI

Hymnus in honorem sancti Philippi, more Aethiopum, corporis eius membra singula laudibus celebrans, et hac de causa « effigies » (malke') dictus, in codice Musaei Britannici Orient. 574, ff. 44*r*-48*v*. invenitur [1]. Quae in hoc hymno ad vitam Philippi spectant, minime cum vita, a nobis in hoc volumine, sub numero IV edita, congruunt. Nihil enim de exsiliis aut miraculis ibi narratis memoratur, sed e regia stirpe oriundus, Philippus in desertum abiisse et monasteria A'nqo et Gešēnā fundasse dicitur. Horum monasteriorum cum in Annalibus aethiopicis brevioribus antistiti (eṭēgē) Philippo fundatio adscribatur, verisimile est Philippum in hymno celebratum alium esse Philippo antistite, et Annalium compilatorem unum et alterum permutasse.

Hymnus in monasterio Gešēnā a filio spiritali sancti, coenobii superiore (liqa-māhbar), compositus videtur.

Quae cum ita sint, hymnum Londinensem in lucem proferendum duximus.

Romae. Non. Iuliis A. D. MDCCCCVIII.

B. T.

[1] Quae in codice Orient. 728 Musaei Britannici, fol. 147, post vitam Philippi, a nobis editam scripta sunt, non « Effigiem » sancti exhibent, sed e libro Aethiopum liturgico, qui Degua appellatur, excerpta sunt.

EFFIGIES SANCTI PHILIPPI.

1 *Incipio laudationem gloriae tuae et compono cantum, p. 251.
dum gratia tua vocis est chordae citharae.
Adiuva me, Philippe, usque ad finem verborum!
Si non perficerim neque obsignaverim verbum,
apud discipulos tuos sapientes famae non ero.

2 Salutem nominis tui memoriae. « Deum amans » est nomen
quod antea in capite prioris Philippi manebat. [eius,
Philippe, sigillo Moysis obsignate,
instar Israel, totus populus tuus, millibus aurium,
sicut mannam, laudem tuam cum gaudio gustabit.

3 Salutem crinibus capitis tui, cucullo ornati,
ad instar iuvenis sponsi domo sponsae.
Philippe Apostole, veni ad adiuvandum me.
Si e corde tuo verba adiuvandi evanescunt,
regnum Dei operis externus erit nuncius [1].

4 Salutem capiti tuo: adeo ut perturbatum sit cerebrum eius
in Deo in Trinitate sua adorando nimis perseverasti,
Philippe. Cum filius tuus ad portas auris tuae, extra aedem [2]
fletu usque ad clamorem exaltatum clamo,
ne sit labor meus sicut pharisaei [3] gloriantis.

5 Salutem faciei tuae, fonte sudoris ablutae
cum in te prosternendo perseverares et certamen iterares,
Philippe! Remunera me pro sermone laudis tuae,
ubi sacerdotes, sodales tui, templum posuerunt,
ut in eo praedicarent et populo te annunciarent.

[1] Corruptum. — [2] Sicut publicanus. — [3] Luc., xviii, 10.

p. 252. 6 *Salutem palpebris tuis, aqua lacrimarum irrigatis,
adeo ut e domo et patrimonio suo transmigraverint,
leo Philippe et proles leonis fortis.
Cum *domus tua* nata sit ex te ex utero aquae Iordani,
gratiam domus tuae, secundae Sinai, praestantem redde.

7 Salutem oculis tuis, qui viderunt contemplante
oculo cogitationis intime mundum tenebrosum despectui ha-
Philippe, veni ad me in caritate mutua, [bendum.
ut te sequar, canendo hymnum
donec videam opus domus Dei.

8 Salutem auribus tuis, totum mundum audientibus
tibi voce doloris supplicantem,
Philippe *alter* Iohannes, cuius sedes est desertum!
Quis est, o mi dilecte, tui similis qui extra modum et mensuram
coram Deo precatione et ieiunio factus est dives.

9 Salutem maxillis tuis, in quas descendit
canalis lacrimarum, adeo ut fecerit super eas viam,
Philippe! Mitte mihi e discipulis tuis quendam
ut me ad cordis mei desiderium dirigat
nam in necessitate auxilium et alium filium [1] non habeo.

10 Salutem naribus tuis, naribus cogitationis internis, odoran-
odorem suavem mysterii sancti altaris [tibus
Caesareensis Philippe, qui est in terra Gazae.
Adiuva me adiutorio tuo, iuvenem natura debilem,
et accipiam e more bono eorum beneficia tua.

11 Salutem labiis tuis, admonitionem docentibus
cum quid e fide detraheretur vel opera deficerent.
Cum pulsavero, Philippe, aperi mihi portas.
Fratres tui, quos duxit Christus et Petrus; socii tibi facti;
faciant cursum per amplitudinem cordis mei [2].

[1] Obscurum — [2] Cf. *Proverb.*, VII, 3.

12 *Salutem dicam ori tuo, p. 253.
quod in aures populi insipientis Scripturam praedicavit.
Philippe! Da alam ex alis adiutorii tui mihi,
te sequenti, ut per abyssum traducas me,
nam semper in hac fleo et ploro.

13 Salutem dentibus tuis, qui ridendo non delectabantur,
neque laetitiam in communione cum laetis volebant,
praeco Divinitatis, Philippe! Odor onycis
est monasterium tuum Gešanā quod sanguis divinus sanctifi-
praepositum monasterii, filium tuum, gratia affice. |cavit:

14 Salutem linguae tuae, cuius est fortitudo sicut linguae
cuius verbi ignis ligna peccati et erroris comburit, [Paracleti,
Philippe qui es simul corporeus, et Angelus excelsus:
Cursum consummasti bene [1], vestigia sequens
Takla-Hāymānot, viri iusti, cuius certamen est praestans.

15 Salutem verbo tuo, verbum Filii Dei loquentis
quando vult accepit et quando amat dat,
praeceptor Philippe, et super millia dator!
Hastam verbo tuo in ventrem inimici mei infige;
et benedictionem tuam in me auge.

16 Salutem halitui tuo, cuius vapor sanat
morbo aegrotantes et peccato impuros,
Philippe dilecte, gemma conchae (?) Takla-Hāymānot!
Pedes cordis mei ad te mane properantes
ex hereditate domus tuae gratiam accipiant.

17 Salutem faucibus tuis, quae dicebant sono suavi
verbum cantus bonum, adeo ut resonaret supra caelum tertium,
Philippe, vestimento beatitudinis et schemate ornate!
Quis, sicut tu, e corporalibus, maiestate verenda coronatus est,
praeter Paulum anachoretam et Barsaumam inopem?

[1] Cf. II *Timoth.*, IV. 7.

p. 254. 18 *Salutem collo tuo, cui torques fidei circumdata est,
non argentum vel aurum ad oculum concupiscentiae:
Antonio *alter* Philippe, quia in iustitia excellebas.
Nuncius memoriae tuae spiritalis apud omnes innotuit
ita ut filii tui multiplicati et admodum aucti sint.

19 Salutem tergo tuo, quod humilitatem sibi induit,
cum filius regis esses, et excelsus dominii extensione;
Philippe Apostole! Rogat te terra Gešenâ,
cuius ab hoste fractum cornu elevasti
et cuius cadaver de morte resuscitasti.

20 Salutem humeris tuis, qui crucem humilitatis portabant,
cum e domo regni et divitiarum in viam paupertatis profici-
Philippe! Coram te, si Deo placet, [scantur.
stabo, in conspectu tuo, vestigia *tua* sequens
et iustis filiis tuis me consociabo.

21 Salutem pectori tuo, aquae cognitionis receptaculo,
ex quo ad libitum quivis desiderans haurit,
Philippe dilecte, gemma filii Philippi! [1]
Beatum te desertum humilitatis peragrantes praedicant
et lingua sua quisque laudibus effert.

22 Salutem gremio tuo, loco egestatis et afflictionis accubitus,
cum per singulas horas in laudatione et iubilatione *eas* subires
Philippe, abstinentia indute, sicut lingua Scripturae dixit:
Anima mea in te sperat [2]: cum sis administrator eius,
in domo animae tuae habitet, quae suavius myrrha odorat.

23 Salutem manibus tuis, crucem tenentibus
cum virtutes, manibus extensis faciebant.
Philippe! ad te modus cordis mei elatus est.
Deiice mihi e caelo funiculum, ut me sursum trahas,
quia abyssus peccati, undae facta, prohibet me.

[1] Obscurum. Num Alexandrum Magnum in animo habet? — [2] Cf. *Ps.* LV (LVI), 3.

24 *Salutem brachiis tuis, quae brachia peccati fregerunt, p. 255.
cum in nomine ostii domus [1] et in nomine iotae [2] praedicares.
Mercator Philippe, qui regnum caelorum emisti!
rogo te, in remunerationem cantus mei,
immunditatem animae meae purifica extra et intus.

25 Salutem ulnae tuae, ulna Davidis graviori,
quae Satanam virtute adorationis perfringit.
Philippe, Filii Unigeniti Apostole!
rogo te, alis cubiti et manus protege me
hora retributionis terribilis et iudicii tremendi.

26 Salutem palmis tuis, quae in adorationibus adiuvandis per-
dum tererent terram ad Crucem Lithostroti. [severabant.
Fili regum Philippe, et domitor myriadum militum!
divitiis gaudii relictis, ut tribulationes subires,
filiae Davidis Mariae vestigia secutus es.

27 Salutem digitis manus tuae unguibus ornatis,
quorum color albi lactis et lanae similis est.
Philippe Apostole, humilitatis et amoris praedicator!
Velis me salvum facere,
nam domini est misericordia, et peccatum servi.

28 Salutem lateri tuo, quod noluit lectum
cum cor tuum, rex cogitationis delectationem mundi repudiaret.
Philippe! Cum pes tuus iter deserti transiret,
morbus aegrotabat morbo tuo et sudavit sudore, [est.
donec angelus mortis confutatus et in extrema *loca* expulsus

29 Salutem ventri tuo, quem prohibuisti cibo
et qui non capiebat delectationem cum in animo *id* habebat.
Pater millium Philippe, et per gratiam Christi, mi pater,
quia me genuisti ex alvo tuo *quae est tamquam* mater.
Magnificat anima mea rationalis Deum!

[1] Cf. Iohan., x, 9. – [2] I. e. Iesu, cuius nominis prima littera est iota.

p. 236, 30 Salutem cordi tuo, sicut cor Davidis mansueto
et instar Moysis miti.
Alter Philippe, Apostole Christi Messiae,
quem genuit, ut sanctitatis et puritatis sacrarium,
Maria, Enos et Noe gloria.

31 Salutem renibus tuis, in fornace humilitatis probatis
cum e regno mundi terreno, mundi delectationem spreverunt.
Philippe *alter* Paule, post cuius aetatem prodiisti,
quis potuit te separare a Christo a te dilecto?
an angustiae? an gladius? [1].

32 Salutem cogitationi tuae, quae bona cogitabat
cotidie et omni hora.
Philippe, mi pater, obsecro te,
quocunque missus sim, viam mihi prosperam redde,
et ubicunque maneam, domui meae umbram praebe.

33 Salutem visceribus tuis, in quae non immittebatur
cibus carnalis animalis ad modum appetitus corporis tui.
Philippus, mi pater! beatum te praedico omni hora,
nam ipse dixisti et locutus es in conspectu huius mundi:
caduc est stabilitas eius, corruptibile desiderium eius, et to-
[tus mundus fluxus est.

34 Salutem intestinis tuis, a bonis mundi segregatis,
in qua infundebatur cibus vitae animae.
Philippe, gemma mea quae praetio non invenitur,
si medici graeci et aegyptii ventrem meum scinderent
intus, sicut aurum, amor tuus inveniretur!

35 Salutem umbilico tuo, qui tutela spei corporis dicitur
et alimentum parvuli in sinu, donec natura eius perfecta sit.
Philippe, mi pater! Cum certamen intenderes,
Satanas confusus est coram te, et retro se recepit,
donec a Deo misericordiam et gratiam tibi comparasti.

[1] Cf. *Rom.*, VIII, 35.

36 *Salutem lumbis tuis, qui admodum crepitabant, p. 257.
cum statio et adoratio ossa eorum conterebant,
Philippe Apostole, iustitiae Christi nuncie!
Usquequo, Domine, in errore meo lamentabor,
et in peccato meo omni tempore sicut columba gemam?

37 Salutem tibiis tuis, membrorum omnium columnis,
quarum super extremitate ipsa firmata sunt,
Philippe, Dei apostole, virtute fortitudinis eius,
sicut in area crucis Agnus eius suspensus est
et sicut Iudaei caput eius arundine percusserunt.

38 Salutem genibus tuis, quae in adoratione perseverabant,
donec e facie tua sudor in specie sanguinis effusus est,
praedicator Philippe, Takla-Hāymānot sodalis.
Sicut discipulus Eliseus [1] pallio praeceptoris sui aquam transiit,
traduc me per abyssum, cuius extremitas est profunda.

39 Salutem pedibus tuis, qui in loco precationis stabant,
cum videbant afflictionem animae proximi sui peccatricis.
Te migrante, Philippe, e mundo dolorum et laborum,
cum exclamarent cithara *sua* David et cantu *suo* angelus.
vox in caelo tertio audiebatur.

40 Salutem talis tuis, non infestatis ore serpentis
neque tactis omnino corpore viri aut feminae,
socie martyrum Philippe et aequalis sorori [2] Isae;
pater, orationem meam exaudi, cum deprecor peccator,
pater, pater, manna amoris tui animam meam nutri!

41 Salutem plantis tuis, quae non solebant agitari
propter nimiam lassitudinem, dum in domo sanctificationis tem-
[pore benedictionis ambulabant,
Si tui instar, Philippe, viam crucis sequar,
ne minimum quidem precibus urgebo te,
ut super opes meas opes augendo addas.

[1] In textu genitivus! — [2] Cod. exhibet « fratri ». De martyribus Isa eiusque sorore Tecla, vide sub die VIII mensis tāḫsas in synaxariis coptitarum et aethiopicis et in libro aethiopum *Miracula B. Mariae Virginis* (Ta'āmra-Māryām) nominato. Cfr. Wüstenfeld, *Synaxarium Copt. Christen*, pp. 163 sqq. Zotenberg, *Catalogue des mss. Éthiop. d. l. Bibl. Nat.*, p. 68, 4.

p. 258. 42 Salutem digitis pedum tuorum cum unguibus coniunctim
qui cursum accelerabant, quando opes regni reliquisti,
Philippe, mi pater! Ut me legem doceas,
castiga me baculo filii, donec macilentus ero, [missa
castigatio vero aliorum *paganorum etiam* in Ninive est re-

43 Salutem staturae tuae, quae vino non irrigata,
aqua deserti crevit, regni divitiis spretis,
Philippe praeceptor, et Christi gratia pater noster!
Si ieiunio et precibus nos redimas. [cabimus.
nuncium gaudii laetum nunciabimus et salvationem praedi-

44 Salutem effigiei tuae, cuius pulcritudo marcuit,
cum esset ei alimentum herba bestiarum,
Philippe, mei pater, filii tui: magnificentiam praedicemus eius
qui per gratiam me genuit, ut gratia eius viverem,
laudes decent magnificentiam illius.

45 Salutem faciei tuae, cuius pulcritudinis nitor est suavis,
sicut pulcritudo et aspectus Christi Dei,
arator Philippe, implens receptaculum suum tritico,
cum prodibit Verbum in maiestate sua cuius magnificentia est
[magnificentia magnificentiae,
vitae meae inimicum interfice, et me ipsum serva.

46 Salutem exitui animae tuae, ut fert mos et lex *omnium ho-*
cum non inveniret in te peccatum angelus erroris. [*minum*,
Cum domum paradisi, Philippe, contemplares;
quantum, quantum virtute gaudii magni exultasti,
ubi abest luctus et morte est remotum![1]

47 Salutem corpori tuo mortuo, corpori sancto christiano,
ab heluatione alieno et peccati experti,
Philippe Apostole, Philippi[2] assecla!
Purifica me sanctitate tua, hominem peccatorem et impurum,
ab omnibus sordibus, ad coloris argenti similitudinem.

[1] Cf. *Apoc.*, XXI, 4. — [2] Philippum antistitem in animo habere videtur.

48 *Salutem pollinctura corporis tui, manibus discipulorum prae- p. 259.
cum odorem incensi suavis ei immitterent. [stantium acta,
Te ex area huius loci [1], Philippe, migrante,
exclamabant angeli, hunc dicentes sermonem:
« pretiosa est mors iustorum [2] ».

49 Salutem sepulcro tuo *quod* in loco [3] sancti Anqo *accepisti*,
postquam desiderium Christi, Dei tui, perfeceras,
Philippe, *alter* Paule Damascene!
Cantando laudo te, Domine, pulchra lingua citharae,
nam a Deo regnum eius et iustitiam eius quaesivisti [4].

50 Cum in potentia tua Deus creator stabis,
a prima aetate patrum usque ad ultimum adventum tuum
cum unusquisque sibi vel onus peccati vel puritatem compa-
o misericors, Dei misericordis fili, [ravit;
propter Philippum discipulum *tuum*, peccata mihi condona.

51 Gloria tihi, Iesu, ex ore Apostolorum missorum.
Gloria tibi, Iesu, ex ore virorum iustorum.
Gloria tibi, Iesu, rex loci [5] Gešēnā.
Gloria tibi, Iesu, ex ore patrum eremitarum.
Gloria tibi, ex ore praestantium.
Gloriam tuam narrat Philippus sacerdos.

[1] I. e. « monasterii » (τόπος). — [2] Cfr. *Ps.* CXV (CXVI), 15. — [3] I. e. « monasterio ». — [4] MATTH., VII, 33. — [5] I. e. « monasterii ».

INDEX TOMI XX

I. Gadla seu Acta S. Baṣalota Mika'el, interpretatus est Karolus Conti Rossini. . . . . pag. 1

II. Gadla Anorēwos, seu Acta S. Honorii, interpretatus est K. Conti Rossini . . . . . » 53

Miracula S. Anorēwos . . . . . » 80

III. Gadla Aron, seu Acta S. Aaronis, interpretatus est Boryssus Turaiev . . . . . » 89

Vita abbatis Iyasū Daretensis . . . . . » 143

Effigies S. Aaronis . . . . . » 148

IV. Gadla Filpos, seu Acta S. Philippi, interpretatus est B. Turaiev . . . . . » 155

V. Effigies S. Philippi, interpretatus est B. Turaiev . . . » 223

BQ
3974
.I74

Vitae sanctorum indigena
Acta S. Basalota Mikae

PONTIFICAL INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO—5, CANADA
12701